GUILIELMI GODOFREDI PLOUCQUET,

PROFESSORIS MEDICINÆ TUBINGENSIS.

COMMENTARIUS MEDICUS

IN

PROCESSUS CRIMINALES.

SUPER

HOMICIDIO, INFANTICIDIO,

ET

EMBRYOCTONIA,

ARGENTORATI, 1787.

SUMTIBUS AMANDI KOENIG, BIBLIOPOLAE.



PRÆFATIO.

Edideram anno 1777 tractatum, lingua germanica ſcriptum, cui titulus eſt: *Abhandlung über die gewaltſame Todesarten, nebſt einem Anhang von dem gefliſſentlichen Misgebæhren*, eo fine, ut momentoſum illud, proh dolor! nimis frequens objectum Jurisprudentiæ Criminalis, homicidium præcipue puto, dilucidaretur. Integra iſta editio jam annis abhinc abſumta fuit. Cum autem interea & novarum obſrevationum penus, & ulterior materiæ momentoſæ penſitatio plura omnino ſuggeſſerint, quæ & augmento & reformationi antea traditorum inſervire poſſunt & debent, eam materiam de novo elaborare & recudere volui, ut Jureconſulti, & inprimis

)(2 Ad-



Advocati filum habeant Ariadnæum, quod eos in labyrinthis processuum, qui super delicta ista instituuntur, ducat & dirigat. Quamvis enim pœna mortis hodie rarius decerni soleat, omnino tamen Judicis interest, ut in singulis casibus oblatis sciat, an accusatio atrocis ejusmodi delicti, (nam de illicito tantum loquor, an omnino licitum detur, soli Deo notum esse censeo) vera sit, an fundamento careat; Etenim pœnæ quoque, quas vocant, extraordinariæ, secundum istas evictiones statui & infligi debent.

Omne delictum duas habet facies, e quibus considerari potest & debet; *physicam* puta, & *moralem*. De priori tantummodo nobis sermo erit, adeoque de ea *processus hujus criminalis parte*, quam *materialem* vocant, Formalem, seu dolum, animum nocendi, consulto præterimus, quamvis non nunquam Medicorum sit, etiam de ista enunciare.

Tubingæ. Mense secundo anni CIƆIƆCCLXXXVI.



CON-



CONSPECTUS.

Haemor-

CAP. V.

Molæ

Infla-

Expli-

Omiſ-

ex



SECTIO

SECTIO I.

DE

HOMICIDIO.



CAPUT I.

DE HOMICIDIO IN GENERE.



§. 1.

Homicidium ſtrictius dictum vocamus omnem actionem, *é qua* mors hominis alicujus conſequitur: Hæc itaque illam ut ſuam *cauſſam*, ſive mediatam, ſive immediatam agnoſcit, quorſum pertinent etiam omiſſiones, e. g. debitæ curæ, quæ vero morali ſenſu pariter ut actiones conſiderari poſſunt.

§. 2.

Perinde ergo eſt, an mors inimicam ejusmodi actionem ſubito & immediate, an vero per ſeriem, etſi longam mutationum, ſero & mediate conſequatur, dummodo evinci poſſit, mortem eſſe effectum actionis commiſſæ.

 §. 3.



§. 3.

Proximus effectus ejusmodi actionis eſt læſio quædam, utplurimum partis alicujus ſolidæ, vel, quod frequentius eſt, plurium partium ſimul, qua functiones ad vitam neceſſariæ aut protinus, aut ſucceſſu temporis tolluntur.

§. 4.

Errant autem, qui omnem mortem poſt læſionem aliquam illatam accidentem pro violenta habent *), adeoque lædentem homicidii accuſant. Etenim etiam æger homo, vel & apparenter ſanus, ſeminium mortis repentinæ in ſe habens, læſionem pati, & deinceps mori poteſt, mori autem victus ſuo morbo antecedente, non ex læſione illata; qualia exempla proponit BOHN **) Quis tunc dixerit, lædentem eſſe homicidam? Ille enim, ut HEBENSTREIT ***) ait, non tam *propter* ſed *poſt* vulnus occubuit. „Fine namque vitæ noſtræ variis & occul„tis cauſſis expoſito, interdum quædam immerentia „ſupre-

*) Ita FASELIUS (gerichtliche Arzneygelahrtheit §. 159.) aſſerit: Eine tödtliche Verlezung ſeye diejenige, *nach welcher* der Verlezte ſterbe.

**) De renunciatione vulnerum. p. m. 141.

***) Anthrop. terens. Sect. II. M. II. c. 1. p. 311.

„supremi fati titulum occupant: cum magis in tem-„pus morbis incidant, quam ipsam mortem accef-„sant *).

CAP. II.

EXAMEN HOMICIDII.

§. 1.

De necessitate examinis homicidii nemo erit, qui dubitet, cum delictum hoc atrocissimum nec impune ferri, nec insonti imputari possit.

§. 2.

Sermo hic non est de examine juridico, sed tantum de physico, quod certitudinem facti determinet, & eruat, an in casu dato homicidium revera commissum fuerit, nec ne? Quis autem hoc instituere possit ac debeat, & quænam formalia Juris ad id pertineant, hujus proprie non est loci. Rei intelligentes, vel ut ajunt, artis peritos huc requiri, vix opus est, ut moneamus: Quodsi Medicum inter, & Chirurgum in ejusmodi casu certamen oriretur, in dubio Medico major, quam Chirurgo fides habenda erit, quippe qui universam œconomiam animalem, omnes

 homi-

*) VALERIUS Max. L. IX. c. XII.

hominis functiones, harum perturbationes, adeoque morbos mortesque apprime scire & debet & potest.

§. 3.

Antequam vero ejusmodi examen institui queat, dispiciendum est, an homo, cujus causa agitur, veram, ac tantum apparentem mortem passus fuerit? Haud pauca enim prostant exempla, homines pro mortuis habitos adhuc vixisse, asphyctos quidem, attamen postea in ipsis forte sepulchris revixisse *), & sic contingere posset, ut talis per sectionem, inconsulto institutam demum occideretur. Itaque signa mortis consideranda erunt.

§. 4.

Mors vero est privatio vitæ, sive cessatio omnium earum actionum & functionum, quas vivo homini competere novimus. Apparens mors autem istas functiones tantummodo suspendit, ut certis sub conditionibus iterum in actum deduci queant.

§. 5.

*) Sic CELSUS de Med. L. II. c. 6.: Si certa futuræ mortis indicia sunt, quomodo interdum deserti a medicis convalescunt, quosdamque fama prodidit in ipsis funeribus revixisse. Quin etiam vir jure magni nominis DEMOCRITUS, ne finitæ quidem vitæ satis certas notas esse, proposuit.

§. 5.

Cum mors vera & apparens id commune habeant, ut functiones quævis non amplius exerceantur, eo curatius investigare debemus, an vera earum cessatio, num tantum suspensio adsit? Suspensio supponit integritatem organorum principum, & superstitem vim vitæ: In cessatione deest unum aut alterum, aut utrumque. Destructio organorum in nonnullis casibus quidem evidenter apparet, integritas non item: De exhaustione autem vis vitalis a priori judicare plane non possumus, hinc relegamur ad phænomena, quatenus signa præbent vitæ mortisve.

§. 6.

Primum, quod oculos fecit, signum mortis est cessatio motus muscularis: Verum hoc ambiguitate non caret, cum syncopes gradus major pariter hominem motu musculari, & quidem per sat longum tempus privare possit, & hoc ipsum est, quod præfestinatæ sepulturæ periculum inducere solet. Dein altera ex parte vere mortuus motum adhuc edere potest, non quidem muscularem, attamen tantisper illum æmulantem: Masticatio mortuorum in sepulchris, Vampirismus, voces editæ & similia inter fabellas relegari merentur; At erectiones penis, hæmorrhagiæ, soni, aliaque quotidianæ fere sunt observationis,



quorum alia effectus sunt spasmorum etiam post mortem perdurantium, qualia exempla allegavi in (proxime edendo) Tomo VIII Novorum Actorum Naturæ Curiosorum, alia vero abs putrida fermentatione, elementa chemica corporis disjungente, multumque aëris producente oriuntur.

§. 7.

Secundum signum constituit sensationis abolitio. Concludimus, hanc adesse, cum homo nullum amplius signum perceptionis edit, hinc spiritus volatiles naribus obtruduntur, aures vehementioribus sonis percelluntur, tactus rudius tentatur, ipso quoque igne. Ad quæ omnia si homo non respondet manifesto aliquo vitæ signo, judicamus, mortuum eum esse: Verum & hoc signum fallit: Summus deliquiorum gradus hominem pariter adeo demergit, ut omnia ista tentamina non sentiat, vel et, si quis sensus superest, systema ejus musculare adeo impotens est, ut signum percepti stimuli edere non valeat, qualia exempla in Diariis medicis plura prostant, adeoque explorans non habet, unde vitam superstitem concludere possit.

§. 8.

Algor porro huc pertinet, qui corpus mortuum occupare solet. Signum hoc iterum ambiguum est, cum

cum hyſtericæ & ſyncoptici pariter frigeant, vita quamvis ſuperſtite, & é contrario mortui dentur, qui in aliquibus ſaltem corporis partibus per dies adhuc evidenter calent.

§. 9.

Aliud ſignum eſt apnœa, ſive ceſſatio reſpirationis: Hanc produnt tam ipſe aſpectus, cum thorax & abdomen non amplius moventur, quam experimenta, eum in finem inſtituta: Scilicet, cum dubitatur, annon forte minima adhuc reſpiratio ſuperſit, poculum aqua plenum thoraci imponere ſolent, expectantes, num ſuperficies aquæ moveatur, utpote quod minimum thoracis motum conſequi deberet; Dein explorant, an halitus ex ore & naribus exeat, nec ne? Fit hoc digito, flamma candelæ accenſæ, naribus admota, vel & plumula impoſita, — Ubi nullus plane motus percipitur, adeſt quoque vera apnœa. Speculum vel aliud vitrum politum naribus orique impoſitum aliâs quoque halitum vel exſpirationem prodit, cum obſcuratur: Sed obſcurari quoque poteſt absque exſpiratione, cum etiam ex mortuis halitus exſurgere ſoleant.

Ipſa autem apnœa, etiam perfectiſſima mortem veram nequaquam demonſtrat, cum exempla plura

 indu-

indubia præſto ſint, apnoicos per tempus haud breve in iſto ſtatu perſeveraſſe, & tamen poſtea expergefactos iterum fuiſſe. Analogi quid exhibent animalia, per hiemem profundiſſimo ſomno ſepulta, vitamque minimam degentia.

§. 10.

Pari modo res ſe habet cum Aſphyxia, ſive defectu pulſus: Omnino quidem pulſus tam cordis, quam arteriarum in mortuis deeſt; Hoc autem non impedit, quo minus & in vivis deeſſe poſſit, quin revera quandoque deſit, utpote in iis, qui ideo aſphyxia laborare dicuntur, quorum tamen plures in vitam revocatos eſſe conſtat.

§. 11.

Porro huc pertinet rigor emortualis: Cum autem tetanus etiam vivum corpus rigidiſſimum efficere poſſit, & altera ex parte cadavera dentur rigore iſto carentia, prout in iis, qui morbis putridis, vel & rhachitide defuncti ſunt, videre eſt, patet, etiam hoc ſignum inter vaga & ambigua pertinere.

§. 12.

Adhuc aliud ſignum propoſuit Brühier *), quod ex periculo, cum maxilla inſtituendo emergit,

*) Abhandlung von der Ungewiſsheit der Kennzeichen des Todes &c. Vorrede des Verfaſſers p. ult.

git, an ſcilicet maxilla inferior facile abduci queat, & abducta ſitum ſervet, osque hians linquat. *Man hat wahrgenommen*, ait, *daſs, wenn man einer Leiche, die man hat kalt werden laſſen, den Mund eröffnet, alsdenn der untere Kinnbacken, den man herunter zieht, von dem obern Kinnbacken entfernt, und beynahe an eben der Stelle bleibe, wo man ihn hingebracht hat, oder wenn er ſich ja zuweilen wieder in die Höhe begibt; ſolches doch nur nach und nach geſchehe; Hingegen, wenn die Perſon nicht todt iſt, und inſonderheit, wenn es die Mutterbeſchwerung oder ein krampſichter Zufall iſt, der ſie befallen hat, ſo gehöret nicht allein eine weit gröſſere Gewalt dazu, den untern Kinnbacken von dem obern wegzubringen; ſondern er begibt ſich auch ſehr geſchwinde wieder in die Höhe, ſo bald man aufhöret deſſen Widerſtand zu überwinden.* Idem adoptavit de HALLER *), qui experimentum hoc irritabilitate niti exiſtimavit. Verum & hoc ſignum in utramque partem fallax eſſe patet, cum in vivo paralyſis muſculorum maxillæ adducentium, vel & ſpasmus abducentium, nec non luxatio maxillæ os hians efficiat, & altera ex parte in vere mortuo rigor emortualis diductioni maxil-

*) Vorleſungen über die gerichtliche Arzneiwiſſenſchaft. 1 B. S. 36.



maxillarum magnam resistentiam opponat, &, quod magis est, vis elastica, contractilis musculorum, etiam post mortem restans, ideoque ab ipso Hallero ad vires mortuas relegata, vi deductas maxillas si non in totum, tamen in tantum & celerrime iterum approximabit. Nimium itaque æstimat hoc experimentum Hallerus l. c. inquiens: *Meine Meynung von den Zeichen der Gewisheit des Todes zu eröfnen, so muss ich bekennen, dass Mangel der Bewegung, des Athemholens, der natürlichen Wärme, und des Pulsschlages mir unzulänglich dunken, etwas in dieser Sache zu bestimmen. Ein weit zuverläsigerer Versuch gründet sich auf die Lehre von der Reizbarkeit. Man sperrt nämlich einem Menschen, über dessen Tod man zweifelhaft ist, mit grosser Anstrengung die Kinnlade so weit auf &c.* Adeoque nec huic fidendum.

§. 13.

Certius veræ mortis signum præbent oculi: Hi non modo instante morte singulariter alterantur, muco viscido obfuscantur, rigent, sed & post eam cornea aliquantum subsidet, foveolam exhibet, & quasi corrugatur, quod ex humoris aquei per corneam evaporatione & cessante ejus restitutione oritur. Hoc signum ex minus vagis est, & rarissime aliquid contra id excipi poterit.

§. 14.

§. 14.

Putredo demum a multis pro unico certo mortis ſigno habito fuit, ita ut Bruhier ſtatueret, neminem ſepeliendum eſſe, cujus cadaver putredine non affectum fuerit. Signa putredinis ipſius deſumuntur ex mutato colore cutis, quæ hinc inde in lividum, nigrumve vergit, & præcipue ex ſpecifico odore cadaveroſo. Fatendum eſt, hoc ſignum omnino ex ſumme momentoſis eſſe, verum tamen nec difficultatibus, nec omni ambiguitate carere. Maxima in cauſſis forenſibus difficultas ea eſt, quod examen læſionum in mortuo tam diu differri nequeat, donec putredo corpus ceperit, cum hæc ipſa tantum in corporis interioribus mutare valeat, ut momenta examinis & inveſtigationis inde obſcurentur, & turbentur. Ambiguitas ejus autem potiſſimum in eo conſiſtit, quod vivi homines, non modo ſphacelo, ſive putredine locali alicubi laborantes, ſed & febribus putridis correpti ſubinde vere cadaveroſum odorem ſpirent. *)

§. 15.

Superſunt adhuc alia, minoris momenti ſigna mortis, quæ, licet per ſe non multum probent, tamen

*) Ipſe ego ex ægris, petechiis obſitis, fœtorem cadaveroſum emanantem percepi, nihilominus poſtea reſtitutis.

tamen ad cumulum referri poſſunt, ut: pupilla dilatata, ad radios lucis intenſioris ſeſe non contrahens, ſanguis ex vena ſecta non fluens, ſpuma oris, quæ omnia magnis omnino ſubjecta ſunt exceptionibus.

§. 16.

E quibus omnibus apparet, ſigna mortis, utpote diſtributive ſumta, omni exceptione non majora, conferri, & collective conſiderari debere, & tunc demum ex præſentia omnium ſine formidine oppoſiti veram mortem adeſſe concludi poſſe; quanquam enim omnino multa incerta certum conſtituere nequeant, tamen in rebus phyſicis eo argumentandi genere uti licebit, ut ſummum gradum probabilitatis certitudini æquivalere ſtatuamus.

§. 17.

Mortis certitudine ita conſtituta ulterius progrediendum erit ad determinationem: An defunctus morte ſic dicta naturali obierit, an vero violenta? Mors audit naturalis ſenſu forenſi, quæ morbum ſponte enatum ſequitur, violenta autem, quæ illatæ alicujus violentiæ, cujuscunque generis ſit, effectus eſt.



§. 18.

Utraque claſſis ſua habet ſigna: Nos in ſignis violentiarum illatarum ſubſiſtemus.

§. 19.

Hæc autem multo difficiliora ſunt, quam quis primo aſpectu crediderit; non loquor de iis caſibus, ubi putredo multum progreſſa partes ſolidas & fluidas adeo alteravit, ut nil diſtincti amplius in iis dignoſci poſſet. Sed & recentiſſima cadavera ſigna violentiarum adeo ambigua exhibere poſſunt, ut, licet ipſæ læſiones pateant, an vivo adhuc homini, an vero poſt mortem demum illatæ fuerint, vix conſtet.

§. 20.

Signa vitæ, tempore illatæ violentiæ adhuc præſentis in eo conveniunt, ut aut actum naturæ reluctantis, aut alium effectum vitæ teſtentur: Referuntur huc: Hœmorrhagia, ſugillationes, inflammationes, congeſtiones ſanguinis, ſigna percepti doloris, ſpaſmi, etiam poſt mortem perſtantes; Quodnam ſingula horum momentum habeant, diſpiciemus.



§. 21.

Hœmorrhagiam ideo inter ſigna vitæ numerant, quod motus ſanguinis ipſius vitæ effectus ſit, & non niſi ea vigente perfici poſſit, & quod ipſa ſanguinis fluiditas cum vita ſtatque cadatque: Verum, enim vero amplus hic objectionibus locus eſt; Etenim non modo vivi magnas pati poſſunt læſiones absque hæmorrhagia, quales hiſtorias recenſent Belchier *), Carmichael **), Morgenstern ***), Tshep †), Kulmus ††), aliique, ſed et, quod magis huc pertinet, etiam mortui ſanguinem profundere poſſunt; prætereo incertas illas & majori ex parte fabuloſas hiſtorias, quas compilavere Kornmannus †††), aliique, ſed provoco ad quotidianam Anatomicorum experientiam, quo-

*) Transact. Philoſoph. v. Leske auserleſene Abhandlungen II, p. 338.

**) Mediciniſche Commentarien von einer Geſellſchaft der Aerzte zu Edinburg V. Band. p. 83.

***) Nov. Act. Nat. Cur. T. IV. Obs. 51.

†) Caſus de amputatione femoris non cruenta. in Diſp. Chir. Select. ab Hallero editis nro. 141.

††) De tendine Achillis disrupto, & arteriis in oſſeam ſubſtantiam degeneratis. ib. nro. 143.

†††) De miraculis mortuorum p. IX. cap. 23. ſs.

quorum nullus erit, qui non aliquando profluvium ſanguinis haud mediocre ex vena cava, aliaque majori inciſa contigiſſe viderit. Hinc etiam HEBENSTREIT *) de cautelis ſub ſectione legali adhibendis agens, ait: Facile vulnerantur venæ ſubclaviæ, ubi ſternum ſolvitur, & *ſanguis ex illis fluens vexat*. Spontaneas quoque eruptiones ſanguinis per putredinem diſſoluti haud infrequentes eſſe, pollinctrices apprime norunt. Notavit id jam Fortunatus FIDELIS **) qui nonnullos, interno vitio emortuos, etiam in *ipſo* funere ſponte ſanguinem excreviſſe vidit. Similia teſtatur ZACCHIAS ***). Adeoque hæmorr-

B

*) l. c. p. 339.

**) De relat. Medic. L. IV. Sect. V. cap. 1.

***) Quæſt. Med-Lepal. L. V. Tit. II. Quæſt. X. nro. 11. „Sanguinis rejectatio, quae per os, vel nares, vel aures, vel etiam per oculos, aut per inferiorem ventrem, vel per urinæ quoque vias fieri ſolet, neque ſemper contingit, neque etiam tantum in hoc caſu ſuccedit: contingit enim, ubi ictus ſeu percuſſiones hujusmodi corporis pars fuerit paſſa, quæ magnis venis atque arteriis ſit inſignita, contra vero, ubi nulla id genus vaſa exſtiterint: non eſt autem ſemper flagellationis ſignum, quia etiam ex aliis cauſſis ſolet contingere, ut videre eſt in his; qui

morrhagia, quorſum cruentationem vulneris referas, per ſe, & ſola nondum demonſtrat, læſionem vel vulnus vivo inflictum fuiſſe: Copioſa tantum hæmorrhagia, qua vaſa venoſa majora fere *exhauriuntur*, & inſequens proinde κενεαγγεια, ac proventus ſanguinis *floridi & copioſi* læſionem vivo illatam evincent. His ſignis etiam aſperſio ſanguinis peregrini, quo forte vulnera, mortuis inflicta, aliorum mortis generum occultandi cauſſa, inquinantur, eluditur & detergitur.

§. 22.

Majorem adhuc difficultatem movet ſugillatio, quam multi pro vitæ effectu, & præſentia tempore illatæ violentiæ habent, & pronunciant. Audit iſta aliâs quoque ἐκχυμωσις, ἐκχυμωμα, ſuffuſio, vibex, macula, ſtigma *), Livor, Gallis Meurtriſſure, Contuſion, Germanis Blaves Mahl, (SAUGMAHL bene diceretur, quoniam ut & etymologia latina docet, ſugendo facile in cute produci poteſt), Blaue Flecken, Quetſchung, & non aliud eſt, niſi hæmorrhagia ſubcutanea. Secundum men-

qui apoplexia, epilepſia, ſquinantia, aut ſuffocante morbo, maligna febre vel peſtilentiali, intereunt.

*) ib. n. 10.



mentem Hippocratis, teſte Galeno *) ecchymoſis eſt effuſio ex vaſculis, ſcilicet ſanguinis **), quæ omnino crebrius ex violentia oritur: Sic apud Plinium ſugillatio denotat livorem ex ictu. Quodſi recentiores auctores evolvimus, plura apud eos loca invenimus, quæ vulgari praxi adſtipulantur, qua, ut jam dictum eſt, ſugillationes pro argumento valent, læſum, ſeu eum, in quo iſtiusmodi reperiuntur;

*) Comment. II. in Libr. VI. Epidem. Hippocr. ad ſect. 9. ἐκχυμώσεις ἐιωθὲ τὰς ἐκ τῶν ἀγγείων ἐκχύσεις καὶ κενώσεις ὀνομάζειν.

**) Comment. II. in Libr. De fracturis ad ſect. 16. ἐκχυμοῦσθαι τὰ φλέβια σημαίνει βουλόμενος ἐκχεῖσθαι τὸν ἐν ἑαυταῖς περιεχόμενον ἔξω χυμὸν, ὅπερ ἐστὶ τὸ αἷμα. Γιγνέται δὲ τοῦτο θλασθέντος αὐτοῦ τοῦ χιτῶνος; ὅσα γὰρ θλάττεται σώματα, τὴν φυσικὴν ἕνωσιν ἀπόλλυται κατὰ πολλὰ μέρη καὶ μικρὰ διασπώμενα, καθ' ἃ καὶ περιεκχεῖται τὸ αἷμα: τοῦτο οὖν τὸ ἐκχυθὲν αἷμα δέχονται μὲν αἱ περιεχόμεναι χῶραι τὴν φλέβα, δεξάμεναι δὲ οὐ φυλάσσουσιν οἷον ἐδέξαντο, μελαίνεται μὲν γὰρ ἐν τῷ χρόνῳ καθάπερ εἰ κακῶς ἐκχυθὲν ἐχρόνισε, καὶ γίνεται πάθος, ὃ καλεῖται θρόμβωσις. ἐξ οὗ παθήματος ἐγγενομένου τῷ αἵματι θρόμβος μὲν ἤδη τὸ αἷμα καλεῖται καὶ ἐστι. μέλαν δὲ γίγνεται τῇ χροιᾷ.



tur, tempore acceptæ læſionis vivum adhuc fuiſſe. „Vulgarem opinionem eſſe, ait FORTUNATUS FIDE„LIS *) vibices ac livores, qui ſparſim per corpus „apparent, certiſſime eſſe verberum ac percuſſio„num indicia. Et HEBENSTREIT **): Inter vaſa „cutis, aut ſub illa, effuſo in cellulas pinguiferas „ſanguine, maculæ ex rufo cœruleſcentes exſurgunt, „quas ſugillationes, & in majori exemplo ecchy„moſes appellant; hæ illatam a contundente inſtru„mento violentiam indicant, ſimulque *vitam docent* „*ſuperfuiſſe tunc, cum inſtrumentum applicatum eſt*, „cum fluens extra vaſa ſanguis cordis motum ſup„ponat; veluti, ſi ſugillationes veræ ſunt, illis in „cognoſcenda vita neogenitorum, tanquam fidelibus „ſignis, etiamſi pulmones in aqua ſubmerguntur, „uti ſolemus. Et LUDWIG ***) „Si in loco preſ„ſis & vexatis ſanguis coagulatus ſtagnans depre„henditur, *vitam* infantis & plenam humorum cir„culationem *adhuc adfuiſſe*, certiſſimum eſt. Nec „non FASELIUS: †) Daſs der — Creysumlauf des „Blutes würklich zugegen geweſen iſt, kan der „Arzt

*) l. c. p. 319.

**) l. c. L. IV. Sect. V. cap. 1.

***) Inſtitut. Medic. Forens. §. 244.

†) Gerichtliche Arzneygelahrtheit §. 184.

„Arzt daher ermeſſen, wenn — hin und wider an „der Oberflæche des Kœrpers unterlaufene Fleke „ſich befinden. Et Jægerus *) idem aſſumere videtur inquiens: „Obſervo extravaſationes in cadaveribus obvias magni momenti eſſe in adſtruenda „vita ſub vel poſt partum acta & violentia, infanti vivo illata, atque poſtulari ſubinde *durantis circulationis* ſanguinis *neceſſitatem* pro admittendis ſugillationibus & extravaſationibus in ſectione detectis & annotatis. —

§. 23.

Certum quidem eſt, percuſſionem, contuſionem vehementiorem vivo illatam vaſa cutanea, & ſubinde majora ſubcutanea, & profundius latentia ita lædere, ut lacerentur, contentumque circulantem ſanguinem in viciniam, quæ utplurimum tela cellulosa eſſe ſolet, effundant, & ſic veras ſugillationes & ecchymoſes forment: Verum ſecundum regulas logicas exinde inferri non poteſt, omnem ſugillationem teſtari reciprocè de percuſſione vel contuſione vivo illata; nec deſunt phænomena & facta, quæ apertiſſime demonſtrant, non modo maculas minores, ſed & latas plagas lividas, purpureas,

 atras

*) Diſs. de foetibus recens natis, jam in utero mortuis & putridis §. XI.

atras subinde nasci absque violentia. Sic HIPPOCRATES *) jam notavit, plevritide emortuos nonnunquam lividum latus habere, simile plagæ, & in hydropico idem observavit. Eadem quotidie in cadaveribus, varii generis morbis defunctorum videre possumus, præsertim in iis, qui veneno & morbis putridis obierunt, utpote quorum corpora adhuc viva vibicibus, petechiis, & anthracibus commaculata apparent, quorum priora levioribus sugillationibus, anthraces autem ecchymosibus æquiparanda sunt. Scorbuticorum maculæ, satis extensæ, integrasque plagas occupantes facile pro sugillationibus ab incautis haberi possent. Præter hæc spasmi sugillationum speciem efformare valent, ut in iis videmus, qui ephialte oppressi sunt: Quorsum & referas effectum validarum congestionum; ita ipse in apoplecticis vidi telam cellulosam subcutaneam capitis, ipsosque musculos temporales cruore ita suffusos, ut pro effectibus validissimæ percussionis, qualis autem nequaquam præcesserat, facillime habuisses. Observationes huc pertinentes proxime edendo Tomo VIII Novorum Actorum Naturæ Curiosorum inserentur.

In

*) Περι διαιτης ὀξεων p. m. Ed. Foes. 386. lin. 14. ἀποθανοντων αὐτεων, ἡ πλευρη πελιη ευρισκεται, ἰκελον τι πληγη.

In genere plures Medici conclusiones, ex sugillationibus ad violentias vivo illatas fallaces agnovere.

Jam FORTUNATUS *) vibicum ac macularum inspectionem in hoc notitiæ genere incertam pronunciavit. Quem sequitur ZACCHIAS. **) Et HEBENSTREIT ***), qui tamen ex loco supra allegato violentiarum Patronus videtur, „nemo, ait, a maculis „sanguinem referentibus in funere visis, ad violen„tum mortis genus recte semper inferret, siquidem „haud pauca corpora, quæ subitanea morte per„eunt, inque sanguinis stasi illius rationem positam „habent, livescunt, & stigmatibus, quæ latæ, ru„bræ lividæ, quasi ex verberibus ortæ sunt macu„læ, notantur insigniter.

Verum ex his ipsis speculatio oborta est, annon sugillationes sponte enatæ, a violentis charactere aliquo distinctivo discerni & signa certa erui possint, quæ singulis in casibus doceant, cujus originis istæ sint?

 ZAC-

*) l. c.

**) l. c. n. 12.

***) l. c. §. 15.



Zacchias solutionem problematis invenisse sibi visus est, cum dicit *) „Ego vero contemplatus „aliquando sum, neque rationi dissonum mihi visum „est, quod diversa ratio est, ubi sanguis per vim, „nempe flagella, baculos, fustes, ictibus, verberi-„bus, flagellationibus, percussionibus á disruptis „laceratisque venis profunditur, & exinde sugilla-„tiones, vibices, aut stigmata fiunt, ab ea, in qua „ex morbi malignitate & impetu talia apparent: & „idcirco licet in externa facie eandem lividitatem „eundemque colorem hæ sugillationes & vibices „præ se ferant, tamen si ad sectionem veniamus, „cutemque ipsam scindamus, manifeste, ut existimo, „apparebit differentia inter utrumque casum: nam „ubi ab externa vi disruptæ venæ sanguinem evo-„muerint, facile deprehendetur sub cute crassus „ac concretus cruor ex ipsa venarum aliarumque „vasorum dilaceratione; quod quidem, ubi ex ma-„ligna febre aut alia simili interna caussa vibices „apparuerint, non habebit locum, sed tantum co-„lor ipsius cutis, & forte subjacentis carnis in li-„vorem mutatus apparebit: & ejus assertionis ra-„tionem habeo in promtu, quia, ubi ex causa ex-„terna sanguis effundatur, venarum capitula dila-„cerata ac disrupta, facile, quem continent sangui-„nem

*) l. c. n.13. f.

„nem etiam craſſum, ad vicinas cavitates trans-
„fundunt, qui extra vaſa ſubito concreſcit; at ubi
„ex cauſa interna vibices fiunt, neque lacerantur,
„neque adaperiuntur capita vaſorum, ſed per ipſa
„veluti reſudat tenuior ſanguinis pars, quæ a pu-
„treſcentibus humoribus elevata, ob turgentiam &
„maximam ſui copiam vel pravam qualitatem &
„acrimoniam ad cutim erumpit: quamobrem non
„neceſſe eſt in hoc caſu apparere ſub cute craſſum
„illum cruorem, neque etiam evidentem vaſorum
„lacerationem, ut in priori.

Idem hodienum fundamentum diſtinctionis ponitur, qua non modo veram ſugillationem, ſive violentam, ab apparente, ſive ab internis cauſſis orta dignoſcere, ſed & iſtas violentias in vivo perpetratas iisdem phænomenis declarari volunt; at infirmum illud eſſe, multisque in caſibus dubia enata non ſolvere, apparet, cum non tantum in multis ſugillationibus veris, minoribus, parum ſit, quod cruoris effuſum eſt, ſed & in nothis ſeu apparentibus revera contineri ſolere ſanguinem extravaſatum, easque adeo profunde penetrare, ut inſpiciens facile decipi queat, id quod ſequentes obſervationes præter meas ſupra allegatas probant: Puella febri petechiali demortua ab Ill. Stoll *) diſ-

*) Rat. Medendi P. I, 199. ſq.

fecta fuit; „cum maculam petechialem fcalpello per „medium fecaret, ea humorem fudit *extravafatum,* „*ac fi pars aliqua fugillata diffecaretur*, & ejusdem „coloris, quem macula ipfa petechialis, antequam „fecta effet, monftravit. Petechias per brachia & „crura difperfas cum examinaret, eas per totam cu- „tis fubftantiam, & quasdam non exiguam fæpe nu- „mero fubjectæ pinguedinis portionem penetrare, „eodemque has partes colore afficere deprehendit, „quem petechia vifui exhibuit non diffecta. Macula „lata, omnium in corpore maxima, fupra cubitum „in externa finiftri brachii parte vifa, cum in eam „fcalpello inquireret, ad mufculos usque per profun- „dam fatis pinguedinem penetrabat, eo modo, ut „conum referret, cujus apex mufculos tangeret, ba- „fis vero in externa brachii parte formaretur.

Alia, febre petechiali defuncta ab eodem fecabatur.*) „Pleura, pericardii interna & externa facies, utraque „facies diaphragmatis, pinguedo pone cor multis „maculis petechialibus pictæ obfervabantur, rubris, „nigris, cœruleis, lentem, cicerem, fabam latitudine „æquantibus, & totidem *fugillationes referentibus*, „*fanguinem fluidum, fi fecabantur, fundentibus.*

Anthraces quoque vidi nigerrimos, ad offa fere penetrantes, cutem, cellulofam, mufculosque tin-

gen-

*) P. II. p. 405.

gentes, extravasato sanguine plenos. Regerere quis posset, hoc casus & morbos suis dignosci signis, adeoque nullam cum casibus forensibus, de quibus agimus, confusionem metuendam esse; at, quamvis persæpe etiam ex absentia morbi alicujus putridi, aliusve ad caussas violentas sat rite concludere possimus, tamen mirabilis nonnunquam complicatio in casibus forensibus existit, quæ judicium suspendere jubet.

Porro Zacchias vult, ut ad lacerationem vasorum attendatur: Bene quidem, verum vasorum minorum sanguiferorum læsio tam facile non evincitur.

Dein, posito quoque, læsionem vasorum esse evictam, contritas carnes, ossa, & alia satis superque de caussa violenta testari, tamen exinde nondum constat, an læsio vivo an mortuo data fuerit? Etenim & in mortuo corpore solutionem continui tam in vasis, quam reliquis corporis partibus, tam mollibus, quam duris fieri posse, quis negabit? Effusionem autem sanguinis ex vasis hominis jamjam mortui, utpote in quo circulus cessavit, non tam facile largieris! Respondeo: Cum sugillatio nil sit, nisi effectus hæmorrhagiæ subcutaneæ, hæc æque facile evenire potest, ac aliæ hæmorrhagiæ, de quibus supra demonstratum fuit, quod & in vere mortuo accidere



dere queant, & revera sæpe accidant. Eo facilius sugillatio nasci poterit, cum ad hanc ex hypothesi concurrat actio vehemens violenta, vasorum tunicas solvens, conterens, sanguinique contento viam liberam ad exitum sternens.

Quodsi ergo sanguinis coagulatio, quæ omnino post mortem contingere solet, effluxum sanguinis hactenus nondum præpedit, hic secundum leges hygrostaticas qua data porta prorumpet, & spatium, quod partes vicinæ concedunt, replebit. Adjuvabit hunc effluxum vis contractilis ipsarum partium læsarum, quæ post mortem superest.

Dictam autem coagulationem obstare ais! Respondeo, hanc non evenire subito post mortem, sed post tempus aliquod, ocius, serius, prout annus, constitutio sanguinis ipsa, aliæque circumstantiæ concurrunt: Quamdiu ergo calor sanguinis superest, ejus fluiditatem nondum periisse credere fas est, adeoque tamdiu quoque é vasis læsis profluere, in telam cellulosam effundi, adeoque ecchymosin formare poterit. Sic itaque *laesio, mortuo illata* eo tempore, quo sanguis nondum coagulatus est, ambiguum istud signum producere valebit. Non loquor de iis, quorum sanguis per putredinem jam resolutus est, utpote in quibus pariter & facilius adhuc idem fieri potest, ac modo dictum fuit.

Aliam

Aliam differentiam adhuc ex colore ſugillationum ac vibicum deſumit ZACCHIAS *), contendens: ſi a cauſa externa fiant, colorem eſſe plerumque maxime liventem, ad nigredinem vergentem, & temporis ſucceſſu ex virore palleſcentem. At ubi fiunt ex cauſſa interna, tunc colorem utplurimum non adeo livere, licet aliquando nigricet, & non immutari, ſed temporis ſucceſſu ſenſim delitеſcere & obliterari. — Ipſe autem fatetur, hæc in experientiam tracta non eſſe, ſed tantum ut veriſimilia & rationi conſona proponi. Nos potius experientiæ contraria eſſe iſta aſſerta, ex ſupra citatis exemplis patere cenſemus. Taceo, læſiones enormes eſſe poſſe, absque ulla ſugillatione, quale exemplum memorabile habet JÆGERUS **).

§. 24.

Longe aliter res ſe habet, cum de inflammationibus ſermo eſt: vulnus, aliave læſio, inflammationem, tumorem inflammatorium, vel turgorem comitem habens pro certo ſigno ſtat, iſtam læſionem vivo fuiſſe illatam: Attamen reciproca propo-

*) l. c. nro. 15.

**) Diſſert. qua caſus & annotationes ad vitam foetus neogoni dijudicandam facientes proponuntur. p. 15. not. f.

propoſitio iterum non valet, quod ſcilicet omnis læſio vivorum inflammationem comitem habeat; præterquam enim, quod non omnes homines æquo modo ad inflammationes proni ſint, plerumque ejusmodi læſio citius necat, quam quidem inflammatio formari poſſit.

§. 25.

Pari modo ſe habent Congeſtiones humorum, quæ in variis læſionibus, & functionum perturbationibus occurrunt, ut in ſuffocatione, ſuſpenſione, excitatis vehementibus animi pathematibus &c.: Omnes, dummodo certa ſui veſtigia relinquant, aperte teſtantur de vigore circuli, de actione ſyſtematis nervoſi, adeoque de præſentia vitæ, tempore datæ læſionis.

§. 26.

Signa percepti doloris, & ſpaſmi poſt mortem reſtantes in ſingularibus quibusdam caſibus pariter attendi debent, attamen nimium iis non fidendum, cum etiam mortis genera naturalia multa ſint, quæ atroces dolores variosque ad ſpaſmum ſtimulos demum ſequuntur.

§. 27.

In hisce itaque rurſus ad collectionem omnium ſignorum recurrendum eſt, quæ ſi omnia vel

pleraque concurrunt, pro re nata in affirmativam vel negativam ſententiam quoad vitam ſub læſione abire jubebunt. Ratione vulnerum hæc in unum colligit PARÆUS *), dicens: „Quæ vivo vulnera „illata fuere, rubra apparent & cruenta, cum la„bris in ambitu tumidis & lividis: contra quæ „mortuo, neque rubra neque cruenta neque tumi„da, neque livida viſuntur. In quibus etiam acquieſcit ZACCHIAS, **) quamvis, ut hactenus demonſtratum eſt, iſtud effatum ſuas patiatur limitationes & exceptiones.

§. 28.

Poſito itaque caſu, inſpiciendum eſſe cadaver hominis, de cujus morte dubitatur, an violenta fuerit, Medici eſt, determinare, quonam mortis genere defunctus ſit, & quid læſiones repertæ ad hanc mortem contulerint, é qua determinatione tum Jureconſultus, ut præmiſſa propoſitione concluſionem ſuam format.

§. 29.

Agitur itaque de facto phyſico, de hujus certitudine, de eruenda veritate, de conſtituendo corpore delicti.

§. 30.

*) De renunciationibus.

**) l. c. Quaeſt. XI. n. 1.



§. 30.

Ad corpus delicti pertinet omne id, quod physice delictum probat. Necesse itaque est, ut Iudex certior fiat, non modo de mortis genere, sed & de eo, mortem hanc a quodam auctore inductam fuisse: Etenim non sufficit, de violenta morte enunciare, cum hæc, præcipue apud neonatos, sæpe quoque apud adultos meri casus tragici effectus esse, & a corporibus inanimatis, vel & brutis produci possit. Interest ergo, ex datis physicis, ex comparatione effectuum cum caussis, quantum quidem licet, etiam ad autorem ejusque actionem modumque agendi concludere, quamvis omnino hujus exacta determinatio sæpenumero impossibilis sit, sed in actione potentiæ lædentis subsistere debeamus, quomodocunque ea in actum deducta fuerit. Exemplum afferam facti, quod paucos ante annos hic loci evenit: Homo in silva reperitur mortuus, quem paullo ante sanum viderant alii peregrinatores; inspectio detegit hæmorrhagiam, vulnusque cruentum capitis, sectio glandes duas plumbeas in cranio latentes: Prope eum locum reperitur sclopetum manuale, glandibus istis proportionatum; vulnus a tergo datum erat. Exinde concludere pronum fuit, hominem hoc modo interemtum esse a pedissequo fratre, quocum iter instituerat, qui & postea factum confessus est.



§. 31.

Cum corpus delicti ex pluribus rebus constare queat, quarum singulæ suam ad eruendum factum symbolum conferunt, distingui solet inter materiale corporis delicti, ejusque formale. Ad materiale referunt corpus læsum, ejusque partes, ad formale autem corpus lædens, & quicquid de potentia nocente potuit inveniri.

§. 32.

Hæc igitur quæsita ut detegantur, cautissimo omnino opus est examine omnium huc pertinentium circumstantiarum physicarum, quarum potissimas recensebo:

§. 33.

Inquirendum & notandum est, cum de vulnerato vel jam mortuo sermo est, ubi, quomodo, quonam in situ corporis inventus sit, an ille adhuc signa vitæ manifesta ediderit, an locutus fuerit, tempus, quando, & quibus sub symptomatibus decesserit, an vestitus fuerit, an vestimenta integra, an lacera, perfossa, ambusta, an cruore, cœno, nive maculata, an sicca an madida fuerint? Porro, quid in isto loco & circa eum, ubi defunctus repertus est, memorabile inventum fuerit, an capilli evulsi, sanguis, vestimenta, laciniæ, arma



reperta fuerint, num veſtigia equorum, peditum, volutationes per gramen, nivem, arenam, cœnum, per nemus &c. obſervari potuerint, & quæ ſunt ejusmodi.

§. 34.

Dein vulneratus vel cadaver placidiſſime & cautiſſime in locum commodum defertur, ne forte rudior contactus, vel quaſſatio & ejusmodi læſo læſionem addant: Vulnera, ſi adſunt, nec ſpecillis acutis, nec, & multo minus gladiis tententur, (quod quis forte facit, vulnerantis inſtrumenti eruendi cauſſa,) nam ſic vulnus profundius fieri, partesque lædi poſſent, quæ antea illæſæ fuerant.

§. 35.

Poſthæc demortui corpus, quantum ad rem neceſſe eſt, denudatur, præſtat autem ſemper, abjecta affectata verecundia integrum corpus undequaque inſpicere; & quicquid tum præternaturale in ſuperficie obſervari poteſt, notatur; ſcilicet:

Color, an alicubi, & quo præciſe in loco a naturali recedat, an ruber, lividus, cœruleus, purpureus, niger appareat?

Eminen-

Eminentiæ, Tumores, eorum extenſio, magnitudo, locus, durities, reliquaque prædicata, an hæc vel illa pars ſingulariter turgeat, ut lingua, oculi.

Subſidentiæ, depreſſiones, impreſſiones, veſtigia.

Situs & nexus.

Figura & conformatio.

Nec minus attendendum, an orificia naturalia corporis, nares, os, oculi, aures, urethra, vagina, anus, præter naturam hient, an forte per peregrinum aliquod corpus obturata ſint, num præternaturale quid effluat?

§. 36.

Præcipue autem partibus, quæ læſæ deprehenduntur, ſolicite conſideratis, læſionis genus determinatur, vulnera, ſi quæ adſunt, deſcribuntur, menſurantur quoad longitudinem, latitudinem, profunditatem, quæ ultima ope ſpecillorum, placide & caute immittendorum, ne ut inſtrumenta lædentia agant, examinatur; notandum quoque, an vulnus mutilationem effecerit. Porro directio vulnerum inveſtigatur, cum ex hac judicandum ſit, quænam partes ſubjectæ læſionem perceperint, (quod maxime in vivis vulneratis attendendum,) diſpiciendum quoque, an vulnus ſit inflammatum,



cruentum, ſiccum, purulentum, ſphaceloſum, impurum, an corpora peregrina & quænam ipſi inhæreant, an caeſim an punctim inflictum ſit, an lacerum, ambuſtum, an ſclopetarium ſit, an deligatum, obturatum fuerit, & quomodo? an plures læſiones ſimul adſint, & quænam?

§. 37.

Poſt hanc inſpectionem ſuperficiariam capilli deradendi ſunt, & corpus univerſum abluendum ſpongiisve abſtergendum eſt, quo facto inſpectio repetenda, & quæ nunc oculis, tactuive, aliisque ſenſibus ſe offerant, notandum.

§. 38.

Dehinc ipſa ſectio cadaveris inſtituitur, niſi quidem putredo illud adeo immutaverit, ut una ex parte juſtum faſtidium & periculum ſecantes arceat, altera ex parte mutatio partium fluidarum & ſolidarum mollium certum de læſione ejusque effectibus judicium formare vetet. Sunt quidem, ſed rariores caſus, in quibus etiam poſt menſes oſſium læſiones, latentes glandes plumbeæ & ejusmodi in erutis cadaveribus repertæ aliquid dilucidaverunt.

§. 29.

§. 39.

Sectionem cadaverum plane superfluam & frustraneam esse, contendere annisus est Leyserus *), magis, ut videtur, ingenii exercendi caussa, quam in veritatis subsidium. Verum hîc res ipsa loquitur; Sectio unum & solum est medium, quo determinari potest, an in casu substrato revera homicidium commissum sit, nec ne? „Quodsi ergo, ait „Hebenstreit **) dubium superesse potest, an „vitæ vulnerati jactura ad rationes aggressoris referenda sit, an illa, alia potius ex caussa, quæ ag„gressorem nihil attinet, non autem ex ejus actu „mortifero immediate fluit, sed aliunde factum est, „quo defunctus sit, qui servari poterat, — delin„quenti defensio denegari nequit. Ast, sine sectio„ne cadaveris nulla defensionis momenta animo „concipi possunt. — Neglecta sectio in quibusdam „casibus dubium esse sineret, an homicidium com„missum sit; posset enim in cadaver actus crudelis „commissus esse, veluti infanticida animum occi„dendi habere potuit, & præcidit jugulum partui, „ast ille ante partum aut durante illo defunctus „est;

*) De frustranea cadaveris inspect. Helmst. 1723. quem confutavit Sam. Frid. Boehmer in Disp. De legitima cadaveris sectione. Hal. 1747.

**) l. c. p. 310.



„eſt; hîc nulla vita peſſumdata fuit, nulla ergo „locum habet compenſatio; ſed unde ſcias, in „vivum ſæviiſſe matrem, niſi ſecueris? Ecquis „haud videt, funeris ſectionem totius inquiſitionis „in cauſſa homicidii fundamentum plerumque eſſe?„

Deinde multi ſunt caſus complicati, ubi nulla lux effulget, niſi ex ſectione, qualia exempla affert idem HEBENSTREIT *) „Quodſi duo vulnera„verint, altero obtuſum inſtrumentum applicante „ad latus ſiniſtrum, ubi coſtæ finiunt, unde lien „ruptus ſit, altero pectus transfodiente, videbitur „ille, qui vulnus apertum fecit, mortis cauſſa eſſe, „altero, qui lienem rupit, quoniam vulnus non „apparet, impune abeunte. — Si duo percuſſores „in quæſtionem veniunt, unde ſcias, hujus aut il„lius gladio confectum hominem eſſe, ſi funus haud „diſſecas?„

Neceſſitas ſectionis etiam in iis caſibus, qui evidentiſſimi, nulliusque ulterioris examinis indigentes videntur, utpote ſi quis capite truncatus, per medium diſſectus, in fruſta quaſi conciſus inveniretur, agnoſcenda eſt, quin & tum, cum teſtes pugnæ adfuerunt. „Si, ut HEBENSTREIT **) affir„mat,

*) l. c. p. 311.

**) l. c. p. 307.

„mat, capite truncum funus, vel alio letali per se „vulnere confossum ac concisum reperiretur, ne „tunc quidem, cum incognitum sit, mortuone an „vivo hoc ita evenerit, an sanguis circum effusus „ex funere fluxerit, an studiose, celandæ veræ „caussæ gratia adspersus sit, sine sectione cadave„ris de vera mortis caussa cognosci poterit. — Sic &, ubi intoxicatum extulerint venefici, & funeri trans caput miserint globulum, ut à latronibus occisus esse videretur *) patet, sectionem, qua veneficium detegeretur, plane necessariam fore. Quod testes attinet, hos sectionem supervacaneam non efficere, pariter docet Goerike. **) „Testes „referunt, vulneratum sub ictu concidisse, omni„que, ut videbatur, vita privatum procubuisse; in„terea cadaver occultandi criminis caussa in flu„men projectum est, inventumque computruit, ut „de letalitate vulneris cognosci haud possit. Pos„setne capitalis, sola testium fide, sententia ferri, „cum abinde, quod mortuus visus sit testibus, ad „mortis ex vulnere necessitatem concludere nemo „possit, potueritque, superstite aliqua ex vulnere „convalescendi fiducia, non vulneratus, sed aqua suffo-

 „catus

*) Goerike Diss. de necessaria vulneris inspectione post homicidium. Helmst. 1737.

**) ib.



„catus homo interiisse, dubiumque manere, an, „qui vulnus fecit, an alter, qui in aquam proje-„cit, mortis causa dici debeat.

§. 40.

Sectionis & perlustrationis necessitas etiam tum manet, cum nulla externa signa vel vestigia læsionis apparent: Quin in hisce adhuc magis necessaria dici potest, cum venenorum effectus non modo, sed & læsiones ex mechanica vi prodeuntes internas partes afficere possint, nulla externa mutatione in sensus incurrente.

§. 41.

Modus procedendi solennis est, ut primum abdomen aperiatur, cavitas ejus lustretur, contenta omnia, scilicet viscera, vasa, nervi, reliquæque partes solicite perspiciantur, & tum, quicquid præter naturam in iis occurrit, sive jam antea præsens fuerit, ut extraordinariæ conformationes, scirrhi, steatomata, contractæ partes, & quicquid horum fuerit, sive mutationes sint, à læsione cujuscunque generis noviter inductæ, annotetur, & distincte describatur: Præsertim vulnerum illatorum profunditas, directio, effectus in ista contenta jam cultro anatomico detegitur, & notatur.

Dein

Dein thorax pari modo recluditur, eademque diligentia in perſcrutando adhibetur: Capitis ſectionem negligere, cum in duabus illis cavitatibus ſufficiens mortis ratio reperta eſt, vel videtur, ſemper defenſori amplam præbebit occaſionem excipiendi, & viſum repertum imperfectionis accuſandi. Hinc ea omnino ſemper inſtituenda eſt, & quidem magna cum circumſpectione, ne ſecans ſuis inſtrumentis quid lædat, quæ omnino etiam in adapertione priorum cavitatum obſervari debet. Capitis interiora ergo, maxime, quæ cranii cava continentur, contemplari fas eſt.

Sæpe etiam collum, fauces, vertebræ inſpiciendæ, & effringendæ ſunt, ut medullæ ſpinalis læſiones detegi poſſint.

Denique & artus nonnunquam perluſtrandi veniunt, cum vulnera aliæve læſiones in iis animadvertuntur.

Quidam etiam partem, quæ læſam ſeſe offert, primam inſpiciunt, reliquas poſtea, & ne ſic quidem male.

§. 42.

Hæc in omnibus cauſis homicidii obſervanda ſunt: Cum autem de infanticidio ſermo eſt, prius de

de fœtus qualitate naturali, ejus maturitate &c. dispiciendum, & præcipue ad mutationes, per respirationem inductas attendendum eſt, de quibus infra plura.

§. 43.

Enumeratio & deſcriptio omnium eorum, quæ reperta fuerunt, audit viſum repertum, ſubſcriptione Medici, Chirurgi, & ſcabinorum corroborandum.

§. 44.

Hoc fundamentum conſtituit Judicii medici, ſanis principiis phyſiologicis, & pathologicis, adeoque rationi & experientiæ ſuperſtruendi.

§. 45.

Itaque enunciare debet Medicus, an ea, quæ fidum rei examen ipſi exhibuit, ut cauſſa mortis conſecutæ conſiderari debeant, nec ne? vel quod idem eſt, an & quatenus læſio vel læſiones letales fuerint nec ne?

C A P. III.

De Letalitate in genere.

§. 1.

Letale eſt id, *cujus eventus mors* eſt, vel potius *erat:* Etenim in foro non quærunt, an læſio quæ-

quædam letalis esse *potuisset*, sed an reapse *fuerit*, nec ne?

§. 2.

Cum, ut C. I. §. 4. annotavimus, mors quandoque post datam læsionem evenire possit, hac innocua, & ad mortem nîl faciente, patet, eas demum læsiones letales appellari debere, quæ ad mortem subsecutam contulerunt.

§. 3.

Adeoque ad letales læsiones referendæ sunt non modo eæ, quæ ut sola & unica caussa mortis considerari debent, sed & illæ, quæ partem tantum caussæ leti in se habent.

§. 4.

Non letales erunt non modo eæ, quibus læsus diutissime supervivit, sed & eæ, quæ ad mortem, licet forte breviter subsecutam *nil fecerunt*, ut si quis morbo letali decumbentem levissime excoriaret, vel vulneraret, ita, ut mors exinde nec sequi, nec festinari potuerit.

§. 5.

Auctor læsionis, prioris generis §. 3. si & quatenus tota illa caussa ab isto processit, est verus homi-

homicida, cui mors ea violenta, quando dolus vel culpa ſubeſt, imputatur.

§. 6.

Auctor læſionis, poſterioris generis §. 3. eſt ſemihomicida ſecundum illud: Qui cauſam damni dat, damnum feciſſe videtur. Huic autem mortem violentam *ex aſſe* imputari non poſſe, ex ſequentibus patebit.

§. 7.

Hæc itaque eſt difficilis illa determinatio, difficile illud judicium, cum in ſingulis caſibus oblatis enunciare debemus: Ad quodnam genus læſio reperta pertineat? Scilicet an ea, cum ſuis ſequelis, vera cauſſa efficiens mortis ſubſecutæ fuerit, an partem tantum cauſſæ conſtituat, an plane nil ad eam contulerit?

§. 8.

Certe, ſi qua unquam quæſtio momentoſa eſt, hæc erit, cum ab ea dependeat, an quis ut reus damnari, an vero ut inſons dimitti debeat? Medicorum non eſt, leges condere, vel conditas reformare, attamen his in caſibus ſunt legis interpretes, quatenus caſum oblatum determinant, eo-

que



que ipſo enunciant, an hæc vel illa lex cæteris paribus ad iſtum applicari queat, an ſecus?

§. 9.

Cum in læſionibus letalibus non ſemper una tantum cauſſa mortis allegari poſſit, ſed multæ nonnunquam circumſtantiæ concurrant, quarum ſingulæ cum reliquis concurrentes ad mortem aliquid conferunt, & ſine quarum *concurſu* mors forte ſubſecuta non eſſet, intereſt omnino, eas ſeparatim notare, & quid cuivis tribuendum ſit, determinare.

§. 10.

Rationi non modo, ſed & æquitati plane conſentaneum eſt, ut partiales hæ cauſſæ, ſi adſunt, *relative ad auctorem laeſionis* conſiderentur, omnesque eæ, quæ ab eodem dependebant, ipſi *quoad factum*, de dolo vel culpa enim hic abſtrahimus, imputentur, eæ vero, quae ab eo non dependebant, ipſi non imputentur, ſicque problema: *Quid proprie auctor laeſionis ad mortem contulerit, quid non?* adeoque *an & quatenus mors violenta ſubſecuta, laeſionis auctori imputari* queat, (nam hoc certe eſt, quod Jureconſulti quaerunt,) ſolvetur.

§. 11.

§. 11.

Hoc ergo fundamentum divisionis & distinctionis quoad letalitatem laesionum esse debet, si volumus, ut ullius utilitatis pro Jureconsultis sit, nam, si hunc respectum non habet, & integra divisio & doctrina fatua & inutilis foret, omnisque confusio a neglectu hujus relationis orta est.

§. 12.

Prius, quam nostram, modo dicto fundamento innixam divisionem proponamus, videbimus, quaenam a diversis auctoribus & scriptoribus adoptatæ sint? Primum quidem monendum, laesiones, vel vulnera nunquam a priori & in abstracto considerari debere, sed in concreto, & nunquam nobis sermonem esse de letali laesione, nisi ipsa mors revera subsecuta fuerit. Aliâs enim omnes fere laesiones letales appellari deberent, cum, ut HIPPOCRATES *) ait, homines ex omnis generis vulneribus mori *possint*: vel, quod omnino absonum & absurdum esset, statui deberet, laesionem unam eandemque modo letalem esse, modo non, vel potius letalem & non letalem simul esse posse.

§. 13.

*) Προῤῥητ. β. p. m. ed. Foes. 96. *ἀποθνησκουσι μεν γαρ οἱ ἀνθρωποι ὑπο τρωματων παντοιων.*



§. 13.

Hippocrates gradus quaſi letalitatis ſtatuit, cum aliqua vulnera θανατωδέϛερα, alia θανατωδέϛατα appellat: Exinde enata eſt triplex vulnerum differentia, quam Fortunatus Fidelis *) propoſuit: ut alia ſcilicet letalia ſint, alia tuta nuncupentur: ultima autem, quae medio conſiſtunt loco, ac periculoſa dicenda ſunt. Quem ſecutus Zacchias **) ſtatuit, „vulnera quaedam letalia, quaedam indif„ferentia: quod aliquando letalia ſint, aliquando „non, pro medentis induſtria, ægri natura, conſti„tutione, aetate, robore, & obedientia, pro tem„poris ratione, pro regionum qualitate, & hujus„modi. Letalium porro alia ſunt de neceſſitate le„talia, quod omnino naturaliter interimant, alia „non neceſſario, ſed utplurimum occidunt.

Quis autem non videt, hoc modo Jureconſultum nunquam edoceri, ad quodnam genus laeſionum, utplurimum letalis in caſu dato referri debeat, an hîc neceſſario talis fuerit, an per accidens, quod poſterius tamen autori laeſionis imputari nequit. Vitioſa haec diviſio exinde enata eſt, quod laeſiones omnes in abſtracto ei ſubigere voluerint.

§. 14.

*) l. c. L. IV. Sect. II. c. 2.
**) l. c. L. V. Tit. Quaeſt. I. n. 4.



§. 14.

Dein paulo aliter divifere vulnera 1) in letalia abfolute, 2) in letalia per fe, quae fibi relicta mortem inferunt, fed artis auxilio ita emendari poffunt, ut mortis periculum abfit *) & tandem 3) in ea, quae non letalia, neglectus vel error letalia poteft facere **), fcilicet per accidens letalia: Haec diftinctio etiam hodienum à longe plerisque Jureconfultorum & Medicorum affumitur. Verum haec divifio in effentialibus cum fupra dicta §. 13. concordat, iisdemque laborat vitiis, multumque dubii & confufionis, forte & injuftitiae in praxi caufatur. Non poffum non hic indignum aeque ac injuftum modum, quo Illuftrem BOERHAVIUM carpere fibi fumfit Cl. DANIEL ***) arguere: Ait is: „Haec oriuntur ex falfa vulneris letalis definitione. „Sic BOERHAAVIUS *vulnera letalia vocat, quae* „*occupant partes, quarum integritas vitae infepa-* „*rabilis.* Hinc illetalia erunt, quae occupant par- „tes, quarum integritas vitae feparabilis. Jam „vero: Tandem *ex non letalibus*, inquit, *neglectus* „*vel error letalia facere poteft.* Id eft, partium „integritas vitae feparabilis neglectu vel errore po- „teft

*) BOERHAAVE aph. 152.

**) ib. aph. 153.

***) Inftit. Medic. publicæ adumbratio §. 22.

„teſt fieri inſeparabilis. Aut neglectus vel error „efficere poteſt, ut vulnera, quae mortis cauſſam „non continent, contineant mortis cauſam. Heu „Boerhaavium!

Mortuo leoni inſultare, ignobile eſt! Sed nec refutatio juſta; primum enim BOERHAAVIUS vulnera letalia nequaquam ita definit, ac quidem Daniel allegat: Non dicit ille: vulnera letalia ſunt, quæ partes &c. ſed potius inverſa propoſitione contendit, ea vulnera, quæ partes &c. eſſe letalia. Quæ quidem differentia Logices ignaro exigua vel nulla videbitur, & tamen eſt maxima: Etenim ſi propoſitio ita ſtruitur, uti Daniel Boerhaavio, an inſidioſe, an ex præcipitantia, certe falſo ſupponit, tum τὸ letale ſumitur indefinite, id eſt, *univerſaliter*, ſin autem juſtus Boerhavianæ propoſitionis ordo non invertitur, τὸ letale eſt prædicatum propoſitionis affirmativæ, adeoque ſumitur tantum *particulariter*, adeoque, cum unius poſitio non ſit alterius excluſio, falſa illa tironi haud ignoſcenda conſequentia, quam Daniel exinde infert, nequaquam deduci poteſt, ac ſi illetalia ergo eſſent, quæ occupant partes, quarum integritas vitæ ſeparablis. Eodem modo ſecunda propoſitio Boerhavii, quam huic per exclamationem invectivam exprobrat, juſta eſt. Quis abſonum dicat, læſionem, quæ mortem



tem non intuliſſet, accedentibus vitiis omiſſionis vel commiſſionis eventum nunc ſortiri letalem? Certiſſime ergo neglectus vel error efficere poteſt, ut vulnera, quæ mortis cauſſam *hactenus non continebant*, jam contineant mortis cauſſam. An adhuc exclamas, Heu Boerhaavium!

§. 15.

Cl. DANIEL *) aliam propoſuit diviſionem, & non niſi vulnera letalia & illetalia admittit. Illa eſſe, é quibus mors vulnerati intelligatur, hæc, cum mors intelligitur ex morbo a vulnere non repetendo, idiopathico. Ea, quæ nos per accidens letalia vocamus, plane eliminata vult **), & alio loco ***) rem ita ſtringit: „Vulnus vel mortis „cauſſa eſt, vel non, id eſt, vulnus eſt innoxium, „quo minus ſuperviveret vulneratus, non impe„diens, & morbus eſt mortis cauſſa. Bene quidem! Sed manifeſto vulneranti imputantur multa, quæ ab ipſo non dependebant; primo quidem, „idem eſſe, ait ****), num mors immediate ex „vulneris conditione, an ex morbo, aut ſympto„mati-

*) l. c. §. 7.

**) §. 12.

***) §. 13.

****) §. 31.

„matibus, vulneris effectibus jure repetenda ſit: Verum omnino, modo addidiſſet, vulneris effectibus *neceſſariis.* „Non excuſari lædentem vel vulnerantem *) per læſi ſtatus præternaturales vel „morbos, idiosyncraſias, partis læſae conditionem „abnormem, atmosphæræ conditionem fatalem, &, (quod nonnullis ſtomachum neſcio an riſum movebit, cum §. 38. ait:) Neque illetale declarari vul„nus poteſt, quum vulneratus tanquam homo, li„bero arbitrio præditus egit, quamvis etiam in „vulnus noxa quodammodo redundaret. Sic cogi„tare hominis, maxime eruditi eſt, edere, bibe„re, animi commotiones experiri, loqui, eſt quo„que hominis, atque venerem exercere uxoris & „mariti eſt. *Neque inde excuſatio peti poteſt, ſi vel* „*ad vulneris triſtem eventum aliquid fecerit.* Ho„minem enim, non animal, conjugem, non cœ„libem vulneravit vulnerans — Neque in univer„ſum diaeta erronea, ut vulnus illetale declaretur, efficit. — Sic nec alia accidentia, nec tempus, nec errores adſtantium & medentium excuſare. Notemus autem, ipſum auctorem ſibi hac certe in ſententia non rite conſtitiſſe, etenim §. 28. ita habet: „Igi„tur, ut illetale ſit vulnus, neceſſe eſt, mors adſcri„bi poſſit morbo latenti, mortis cauſſæ ſoli, aut

*) §. 33-42.



„morbo, illetali vulneri ſupervenienti, cujus ortus „neque ex læſi vulnere ſolo, nec, conſideratis ſimul „vulnerati ætate, debilitate, & diſpoſitione morboſa „deduci poteſt: aut mors intelligi non debet ex vul- „nere læſi, ſed *ex erronea chirurgorum medela.* „Tumque non de occiſo, ſed de vulnerato quæſtio „eſt — Adeoque aut agnoſcit vulnera per accidens letalia, aut hæc ad illetalia refert, toto certamine in logomachiam abeunte: neque vero id illetale vocari poteſt, quod letalem habet exitum, licet aliud quid interveniat, vel ſuperveniat, ſine quo is locum non habuiſſet.

Adductum in duras hujusmodi, omni æquitati, & praxi hodiernorum Jureconſultorum adverſas ſententias ſe ait, quod Leges ita ſtatuant.*) Quod iterum falſum eſt, ut & vel ex ſolo loco Pauli **) colligas, qui ita: Si ex plagis ſervus mortuus eſſet, *neque id Medici inſcitia aut domini negligentia* accidiſſet, recte de injuria occiſo agitur; Ita, ſi vulneratus fuerit ſervus non mortifere, *negligentia autem perierit*, de vulnerato actio erit, non de occiſo.

§. 16.

Miſſis itaque his omnibus eam, quam jam olim propoſui ***) diviſionem læſionum quoad letalita-

*) §. 8-14.

**) L. 30. §. 4. ff. ad Leg. Aquil.

***) Abhandlung über die gewaltſame Todesarten.

litatem denuo propono, cum perſuaſiſſimus ſim, eam juri & æquitati ratione lædentium ſive vulnerantium conſentaneam eſſe, dum nec plus nec minus ipſis imputatur, quam quidem delictum eorum meretur.

§. 17.

Omnis ergo læſio erat aut letalis, aut non letalis §. 1. 4.

§. 18.

Letalis erat aut neceſſario-talis, aut non. Neceſſitas hæc ſive inevitabilitas leti idem eſt cum impoſſibilitate contrarii, ſive evadendi. Eluctatur autem homo ex morbo quolibet ſive ope ſolarum virium naturæ medicatricium, ſive concurſu artis medicæ & chirurgicæ: Atqui tali nimirum in caſu naturam non potuiſſe opem ferre, ipſe eventus demonſtrat, quæritur ergo tantum, an forte artis auxilia ſuperfuiſſent, quibus homo ſalvari potuiſſet, nec ne? ſi & haec non ſuperfuerunt, fatum ex omni parte erat inevitabile.

Non habemus itaque aliud fundamentum vel alium characterem neceſſariae, abſolutae letalitatis, niſi laeſionis inſanabilitatem, vel impoſſibilitatem, mortem avertendi, quicquid contra afferat Daniel. *)

*) l. c. §. 13. & alibi.

Et hujus quidem fundamenti veſtigia reperimus apud Hippocratem, Galenumque, ejus Commentatorem, illudque amplexi ſunt non Medici modo, ſed & Jureconſulti: Ita FARINACIUS *) „Vulnera omnino „mortalia, & ad mortem certa, ſunt illa, quae non „requirunt curam & conſilium medicorum, ſed ſunt „talia, ex quibus vulneratus ſtatim moritur: Ex „neotericis MEISTER **)„ abſolute letale vulnus, quod nulla arte & nunquam ſanari poteſt. Ill. KOCH ***) „Ad vulnus letale per ſe requiritur, ut „vulnerato, qui mortuus eſt, nullo auxilio vel „medico vel chirurgico, quacunque etiam dexte-„ritate & celeritate illud fuerit adhibitum, ſuccur-„ri unquam potuiſſet, nullusque poſſibilis modus „indicari poſſit, quo vulnus illud inflictum ſanari „potuiſſet, &c. Similiter & QUISTORP ****).

§. 19.

Verum, ſi ſanabilitatem vel inſanabilitatem pro norma letalitatis neceſſariæ vel non-neceſſariæ conſtituimus, nonne amplum ſic aperimus campum excu-

*) Opp. crimin. P. V. De homicidio Quæſt. 127. P. I. n. 5.

**) Princ. Juris Crim. Sect. II. P. II. C. II. §. II.

***) Inſt. Juris Crim. L. II. §. 423.

****) Grundſætze des teutſchen peinlichen Rechts.

excusationis & defensionis; quis enim in omni casu dixerit, omnia artis auxilia exhausta, nullumque intentatum relictum fuisse, quo adhibito æger forte vitam redemisset? Gravis omnino objectio, quæ in datis casibus non nisi á magistris artis ex principiis physiologicis, & pathologicis, collatis cum experientia omnium gentium & temporum solvi potest.

§. 20.

Regerere quis posset: Si ad experientiam provocatur, non dabitur casus funestus, cui non similem vel analogum apud Observatores Medicos & Chirurgos invenire poteris, qui felicior fuit, qui eventum non funestum habuit. Atqui, si hic servari potuit, quidni & alter, qui jam læsioni suæ, forte ne quidem adeo gravi, ac illa apud observatorem fuerat, occubuit?

Fatendum est, dari casus ejusmodi, singulariter & præter omnem spem faustos, ubi interventu aut singulariter efficacis naturæ *); aut constitutionis

*) Præter exempla inferius suis locis alleganda, unum hic afferam, quod Chirurgus Hacquet, in Lublana, Ill. Richtero communicavit, quodque hic septimo Tomo Bibliothecæ suæ chirurgicæ p. 773 inseruit: De Rauber Poznanowich achtzehen Jahr alt,



nis singularis abnormis, aut aliorum faustorum accidenᵹ

alt, wurde durch eine Flintenkugel, die ihm das os humeri, die zweyte und dritte wahre Ribbel zerschmetterte, und in der Brusthöhle unentdekt liegen blieb, verwundet. Eine zweyte Kugel drang durch den linken Arm, ohne jedoch den Knochen oder irgend ein grosses Gefæss zu verlezen. Eine dritte Kugel drang durchs Brustbein, und blieb in der Brusthoehle liegen. Die Luft drang aus beyden Brustwunden so stark, dass sie ein brennendes Licht leicht ausloeschen konnte. Ich fand diesen Verwundeten in dem Gewoelbe eines alten türkischen Schlosses, gefesselt, und von einem starken Eyterungsfieber ganz abgezehrt. In Erwartung seines Todesurtheils lag er hier ohne alle Pflege. Und doch wurde er glücklich geheilt: groestentheils aber durch seine guten Naturkræfte. Die Kunst that wenig. Der vielen Knochensplitter und Eytergænge wegen machte man viele Einschnitte. Die Natur bewerkstelligte eine Exfoliation, ersezte den Knochenverlust durch Callus, und bewürkte die Heilung innerhalb neun Wochen so, dass der Mann den Gebrauch seines Arms vollkommen wieder erhielt. Durch die Wunde der zweyten und dritten Ribbe drang schon am neunten Tage keine Luft mehr. Des in der Brusthöhle befindlichen ausgetretenen Blutes wegen dilatirte man sie. Es erfolgte eine gute Eyterung und Exfoliation, und nach 37 Tagen war

cidentium *) letum, quod aliâs inevitabile fuiſſet, impediunt, & ſic læſio per accidens illetalis fit. At ejusmodi facta reum non excuſabunt, niſi quidem defenſor demonſtrare poſſit, aut neglectum eſſe aliquid in hoc læſo, e. g. ſi quis ex preſſione grumi ſanguinis in ſuperficie cerebri, vel ſuper ipſam duram matrem conſtituti moriretur, trepanumque

war ſie geheilt. Die Wunde am Bruſtbeine daurte am længſten, die Eyterung war ſehr hæufig, und hielt lange an. Tæglich zeigten ſich Knochenſplitter, und ein beſtændig anhaltendes Wundfieber zehrte den Mann ganz aus. Aber auch dieſe Wunde ſchloſs ſich endlich nach verſchiedenen Exfoliationen, und der Mann ſteht jezt vollkommen hergeſtellt ſeinen Wirthſchaftsgeſchæften vor. Wæhrend der ganzen Kur hatte er nichts als ſaure Milch, und ſchlechtes Gerſten-und Haber-Brod zur Nahrung. So viel vermag die Natur, wenn ihre Kræffte unverlezt ſind. Die Leute in dieſer Gegend an der türkiſchen Grenze um Kospitſch ſind Halbbarbaren, leben in Wüſteneien blos von Milch, Waſſer und Pflanzen. Es ſind aber die ſchoenſte und groeſte Leute in der ganzen Monarchie.

*) Ita BOHN de renunc. vuln. p. 43 ait: Nonne fieri poteſt, ut particula omenti aut pinguedinis vulneri inteſtini, ventriculi aut vaſis cujusdam, *alias letali futuro*, ſe fortuito inſinuet, illique [illegible] agglutinetur.

numque ipsi adhibitum non fuisset, altera ex parte autem mille exempla prostant, ejusmodi grumos post trepanationem fausto eventu ablatos fuisse, tum defensor omnino jure excipere potest, non omnia artis auxilia demortuo applicita esse; aut supervenisse alia, ex læsione data non necessario sequentia: Præterea similitudines istæ non sunt nisi apparentes, nec datur casus alteri perfecte similis. „Non „adeo evidens est, ait BOHN *), aut fieri unquam „potest, an vulnus sanatum cum non sanato, quo-„ad singula exacte simile, seu specie & omnimode „idem fuerit, quin mens sagacior semper anceps „relinquatur, an illud, quod accurate lustrare haud „licebat, (scilicet in vivo sanato) ratione latitudinis, „profunditatis, vasorum fibrarumque lacerationis „idem cum hoc, cujus conditiones in cadavere per „autopsiam quam accuratissime dignoscimus, quas „in illo ex signis tantum, interdum satis fallacibus „auguramur, rarius penetramus. Exemplis binis „disparitatem hanc ejusve possibilitatem declarabo. „Ventriculi fundi vulnus exile, tantum tamen, per „quod alimenta cruda aut semicocta aliquot dies „cum singultu molestissimo, conatu vomendi ac li-„pothymiis prodeunt, in Titio intra mensem solida-„tur: intra triduum vero ex simili vulnere, quoad „circumstantias sensibiles cunctas, si singultum ex-

„ci-

*) l. c. p. 38.

„cipias, moritur Cajus, adeoque tali, quod
„propter ſpaſmodici hujus ſymptomatis abſentiam ſi
„non majoris certe paris exſpectationis videbatur.
„An Cajum ergo ideo non per ſe mortifero vulne-
„re occubuiſſe dicamus, quod Titius ſuperſtes man-
„ſerit, eadem ratione imo intuitu ſingultus, gra-
„vius forſan vulneratus? Minime: manifeſtante ſci-
„licet ſectione cadaveris, lateralem magis, quam
„anticam fundi ſtomachi partem in hoc perfoſſam,
„ſimulque arteriam gaſtricam ſiniſtram disciſſam.
„Quarum circumſtantiarum prioris ratione, plus
„contentorum ventriculi ad abdominis cavitatem,
„quam extra hanc, poſterioris plus ſanguinis ad
„idem abdomen fuiſſe rejectum, (de quibus phae-
„nomenis ante inſpectionem haud conſtabat) de-
„prehenditur: eas nihilominus Titii vulneri defuiſ-
„ſe, non immerito eousque ambigimus, donec, id
„eſt, nunquam, contrarium probetur. Pariter
„Sempronius contuſionem capitis patitur inſignem,
„cum depreſſione cranii enormiore, hæmorrhagia
„impetuoſa ſatis per vulnus æque, ac per aurem
„dextram apparente, ſenſuumque ac motus ſubla-
„tione: poſt cranii elevationem tertio die factam,
„redit ſucceſſive ad functiones priſtinas anima ſen-
„ſitiva, compeſcitur fluxus ſanguinis, & poſt quin-
„que ſeptimanas ſanus egreditur vulneratus. Clau-
„dius cum ſimili calvariæ depreſſione & ſub iis-
„dem

„dem ſymptomatibus, reſtituto pariter tempeſtive „ſatis oſſe, quod ſubſederat, & hæmorrhagia ceſ-„ſante, ſeptimo die cum ſtertore exſpirat: in cujus „cadaveris ventriculis multum ſanguinis extrava-„ſati & putrilaginoſi, a ramulo plexus choriodis „rupto cernitur. Proba tu eandem fuiſſe faciem „internam contuſionis, Sempronio illatæ: aut ſi non, „mihi dubitare liceat, illam ejusmodi fuiſſe. — Sic & perbene monet Hebenstreit *) quoad vulnera ſic dicta ſclopetaria, quod habeant „ſingulare „illud, ut globulus ipſe tranſjectus, inque aliquo „oſſe offendens, curvo itinere procedat, adeoque, „qui ex tali vulnere convaleſcunt, habere potue-„runt viſcera illæſa, quibus ad vitam opus eſt, „proinde ab illorum curationibus ad poſſibilitatem „curæ in alio caſu, ubi ſectio docuit, deſtructa eſſe „vitalia, haud valet concluſio. Illius, qui raro „exemplo convaluit, viſcera nemo vidit, an ſimi-„liter, ac in præſenti caſu factum eſſe ſectio docet, „transfoſſa ac transjecta fuerint. — Et Ludwigius **) quamvis gradus abſolutæ letalitatis, quos ſtatuit, non aſſumamus, bene tamen dixit: „Mini-„me ad curationes poſſibiles, vel exempla præſti-„tæ in magnis læſionibus medelae; cum illa, quae „in

*) l. c. c. 2. §. 3. p. 345.

**) l. c. §. 208.

„in caussa sanguinis requiritur, certitudine provo-
„care possumus. Observatores, qui allegantur, lae-
„sionem, ut decet, non semper examinarunt, ve-
„lut cum arteria carotis per ligaturam, cruralis per
„compressionem curata dicitur. Quis vero certo
„docere poterit, arteriam ipsam laesam fuisse, cum
„sola haemorrhagia, minime vero disquisitio post
„mortem, assertum confirmet, & forte ramus major
„tantum laesus fuerit.

In his itaque minima circumstantia variat rem, ut ejus gratia saepe judicium plane contrarium ferri debeat.

§. 21.

Alia adhuc contra fundamentum sanabilitatis vel insanabilitatis sese offert objectio, nimirum: Si læsio pro necessario-letali declaretur, *quia* ars medica oleum & operam in ea perdidit, nonne hoc modo plures miserandi vulneratores minus juste capitis damnantur, damnati fuerunt, & forte adhuc damnabuntur? Nonne hi imperfectioni artis medicae & chirurgicae immolantur? Quis enim negat, hodie istam multo perfectiorem esse, quam olim, nonne de hoc gloriantur Medici & Chirurgi? Nonne fatetur SCHMUKERUS, se multo plures capite violatos servare, ex quo frigidum actuale applicat, quam antea?

Ali-



Aliquid ex vero habet hæc objectio, attamen ad eam respondemus: Quanquam in iis regionibus & ditionibus, quarum Medici & Collegia Medica artem non fideliter didicere, & scientiam non omnem complexa sunt, sæpius accidere queat, ut quicquid illi delirant, hi plectantur, tamen in longe plerisque terris id non metuendum esse. In istis autem vulneratores & lædentes eo cautius mercari discant, & eo majori cum cura abstineant á pugnis.

Dein ea, quæ ut novæ inventiones hodie venditantur, sæpiuscule apud veteres jam offendimus; exemplo modo laudatorum frigidorum epithematum, quæ plerique hodie per excellentiam Schmukeriana appellant: Non dubito, fuisse eam ipsius Schmukeri speculationem, verum jam Hippocrates ea, vel potius frigidum actuale in cerebri inflammationibus applicuit *) similiter & Aretæus in phrenitide **).

Porro

*) Περι νȣσων. β. γ. mox ab initio: ὁκοταν ὁ ἐγκεφαλος, οἰδηση ὑπο φλεγμασιης, ὀδυνη ἰσχει ἁπασαν την κεφαλην. μαλιϛα δε, ὁπη ϛαιη ἡ φλεγμασιη. — Χρη δε, ὁκοταν περιωδυνεῃ, ψυχειν την κεφαλην, μαλιϛα μεν ξυραντα, ἡ ἐς κυϛιν ἡ ἐς ἐντερα ἐγχεαντα των ψυκτικων τι. οἱον χυλον ϛτυχνȣ και γην κεραμιτιδα. το μεν προϛεθεναι, το δε ἀφαιρεειν πρεν ἡ χλιαρον γενηται.

**) De morbo acut. curat. L. I. c. 2. „cum maxime insa-

Porro, ſi unquam ars medica vel chirurgica adhuc novi quid inveniret, quo hæc vel illa, hodie inſanabilis læſio, ſanari demum poſſet, quod tamen vix ſperandum, id noſtris temporibus, noſtris Medicis opprobrio verti nequit, nîlque ſane ſupereſt, niſi ut altercatores limites, hodie fixos, ne transgrediantur, vel potius dimicationibus tamdiu valedicant, donec ars perfoſſa corda ſanare, reſecata capita reſarcire, & miracula patrare didicerit.

§. 22.

Ut vero in viam redeamus, læſio neceſſario-letalis §. 18. ſupponit aut conditionem & conſtitutionem ſimpliciter humanam, qualis nempe omni homini competere ſolet, quam itaque ipſam naturam humanam dicimus, comprehendentem ſolidarum partium conformationem & ſtructuram, fluidarum qualitates notas, iſtarum vires, functionesque, quas doctrina phyſiologica pandit: Vires iſtæ mechanicæ, organicæ, chemicæ, vitales ſunt limitatæ, potentiisque nocentibus omnis generis non niſi determinatum reſiſtentiæ gradum opponere poſſunt, quâ ſuperatâ abs illis, ex hypotheſi majoribus functiones labefactantur, tolluntur. Quod ſi ad func-

inſaniunt, tum maxime irrigandum eſt humore frigido &c. caput in phreniticis calefieri non amat.



functiones ſic dictas vitales immediate vel mediate attinet, mors ſequitur, & laeſio, vel laeſiones, ab illis potentiis nocentibus productae ſunt, vel potius *erant neceſſario*, & quidem *univerſaliter letales*, quia omnis homo iſtis periiſſet, & perire neceſſario debeat.

§. 23.

Dantur autem quoque, prout infra ſpecialius dicetur, nonnunquam ſingulares conſtitutiones hominum, á communi regula aberrantes, adeoque praeternaturales, & extraordinariae, quae infauſto caſu ex data laeſione mortem arceſſunt, aliâs non ſubſecuturam, quorſum & referri poſſunt ſtatus aliqui, tranſitorii quidem, attamen ad letalitatem ita concurrentes, ut absque illis iterum mors conſecuta non fuiſſet. Laeſiones, ejusmodi hominibus illatae itaque pariter neceſſario & inevitabiliter mortem cauſantur, adeoque in iſtis caſibus, de quibus nunc quaeſtio movetur, erant omnino neceſſario-letales, verumtamen, cum non univerſaliter letales ſint, id eſt, alii homini, ſecundum conſuetum ordinem naturae ſe habenti mortem non intuliſſent, *individualiter letales* eas appello.

§. 24.

§. 24.

A letalibus per accidens talibus diſtinguuntur etiam in eo, quod ſingulares illæ conditiones ante læſionem vel ſaltem in momento læſionis adfuere, accidentia autem poſt læſionem demum ſuperveniant.

§. 25.

Hanc letalitatis neceſſariæ ſeu abſolutæ *ſubdiviſionem* non utilem modo, ſed & ſummopere neceſſariam eſſe, prius, quam ad ipſa exempla progrediar, demonſtrabo: Magnum hac in re errorem, quem ut effectum judiciorum medicorum in imputationem facti, §. 10. 11. conſiderare poſſumus, injuſtarum, barbararum, & humanitati plane adverſarum ſententiarum patrem, ſi non in Praxi, tamen in Theoria adhuc vigentem hic arguere, ſimulque viam pandere, qua is evitari poſſit, animus eſt; Eadem quidem jam *) ſed forte nimis breviter propoſui, non poſſum non autem hic loci ea repetere, & ulterius dilucidare: Sunt ſcilicet Illuſtres Jureconſulti, qui ad quæſtionem: An læſio individualiter letalis auctori læſionis ceu neceſſario letalis imputanda ſit, adeoque, poſito animo nocendi, ille de eventu hoc fatali tenea-

*) Abhandlung über die gewaltſame Todesarten. §. 19.



neatur, dubitative, vel & omnino affirmative respondent. Ita, quem citat de Boehmer *) Struvius dubitat, „an hæc sit mens sanctionis Carolinæ, „quod scilicet ejusmodi casu, quo propter vul„nus inflictum necessario quis mortem subiit, ac „illud, positis illis circumstantiis, ipsi actui vulne„rationis ratione loci, temporis, *aut personae vul„neratae* conjunctis non potuit persanari, à pœna „ordinaria percussor sit immunis, qnando nec chi„rurgo, nec vulnerato imputanda venit culpa.

Koch **) „Si vulneratus ob conditionem „suæ personæ, aut membri vulnerati qualitate sin„gulari, aut loci ac temporis circumstantia ex „vulnere perierit — His in casibus, si vulnus do„lo inflictum, pœna homicidii dolosi ordinaria lo„cum habebit.

Et Meister ***) „Ad pœnam homicidii ordi„nariam infligendam necessaria est probatio, reum „facto suo caussam mortis alterius necessariam de„disse. Quæ probatio, si mors vulnerationem se„cuta est, multum difficultatis habere solet, non „quidem ex art. 147. c. c. c. sed & ejus inter„preta-

*) Meditat. in Const. Crim. Carol. ad art. 147. p. 705.

**) l. c. §. 453.

***) l. c. Sect. II. P. II. c. 2. §. 6.

„pretatione ſiniſtra, & doctrina de letalitate vulneris „abſolute & per accidens tali. Meliora; & inten- „tioni Imperatoris accomodatiora hodie judicia oc- „cupare criminalia ſolent principia, quæ docent, „*pœnam* homicidii doloſi *ordinariam locum habere*, „non ſolum ob vulnus inflictum abſolute letale, „quod ſcilicet nulla arte & nunquam ſanari poteſt, „ſed etiam illud, ex quo vulneratus *pro ſua cor-* „*poris, membri qualitate*, ac loci & temporis cir- „cumſtantia mori debuit. Liberabit ergo hominem „à pœna ordinaria unice probatio, vulneratum vel „ex ſola medici negligentia, vel ex mala vulnerati diæta, aliaque culpa, vel denique ex ſupervenien- „te caſu cum vulnere plane non connexo, periiſſe.

PÜTTMANNUS ſimiliter *): In vulnerum leta- „litate judicanda haud quaquam, quid antea in „aliis exemplis conſimilibus factum ſit, conſide- „randum, ſed unice, an vulneratus pro *conditio-* „*ne corporis ſui*, adjuncta loci & temporis quali- „tate, neceſſario ex vulnere accepto vitam finie- „rit, inſpiciendum eſt, adeo, ut reum haud juvet, „etſi medicus dicat, vulneratum trepani admotione „aut adhibitis aliis ejusmodi violentis remediis ſa- „nari forſitan potuiſſe. (Contra ultimam propoſi- „tionem omnes cæteroquin Medici & Jureconſulti

 habe-

*) Elem. Jur. Crim. L. I. c. 18. §. 287.



habebunt, quod allegent, ut & contra aſſertum, nimis indeterminate — §. 286. propoſitum: „Quan„do de necandi animo conſtat, vulneratusque ſta„tim poſt acceptum vulnus mortuus eſt, pœna or„dinaria utique locum invenit. Nimirum requiritur adhuc, ut vulneratus *ex* accepto vulnere perierit?

Sic & Quistorp. *) „Bey Todſclægen kommt „es nicht ſowohl darauf an, daſs eine Wunde, „oder Verlezung ſchlechterdings, oder allgemein „tœdlich war, ſondern es genüget, wenn ſie nach „dem beſondern Zuſtand derjenigen Perſon, der „ſie zugefüget worden, *auch nur individuell tœdt„lich geweſen iſt.* Es kan daher dem Thæter an „und für ſich zu keiner Entſchuldigung oder Mil„derung der Strafe gereichen, wenn er vielleicht „ein und anderes Beyſpiel anführen kœnnte, daſs „etwa dieſer oder jener geneſen ſey, welcher auf „gleiche oder æhnliche Weiſe verwundet worden. (Hæc autem ad individualitatem letalitatis plane non pertinent, ut ex ſupra dictis jam elucet.) „Es genüget vielmehr, daſs die Wunde nach ih„rer dermaligen Beſchaffenheit, oder *nach dem be„ſonderen Zuſtande der Perſon*, der ſie zugefüget „war, den Tod nothwendig habe nach ſich ziehen „müſſen, und daſs ſie nach der Beſchaffenheit des „Orts

*) Grundſäze des deutſchen peinlichen Rechtes §. 219.

„Orts und der Zeit, wie auch nach dem besondern Zustand der Person nicht habe geheilet werden können.„

Sic uno omnes ore individualiter letales læsiones æquiparant universaliter letalibus, licet hic & alter sentire videatur, injusti quid subesse, é quo tamen sese extricare aut non sciverit, aut non ausferit, inductus, ut videtur autoritate gravium antecessorum, quæ certe sæpenumero nimis æstimatur: Sic de BOEHMER *) optat, ut ille articulus imperiali interpretatione declararetur. QUISTORP. **) meam divisionem læsionum necessario-letalium in universaliter, & individualiter tales quidem assumit, at in sequentibus iterum confundit.

§. 26.

Meum itaque erit, per singula, necessario-quidem, ast individualiter letalium læsionum exempla probare, eam distinctionem ejusque consequentiam, necessarii usus in Jure esse, scilicet, cum ejusmodi constitutiones individuales utplurimum abstrusæ indolis sint, quin sæpe ab ipso illo homine, qui eas habet, ignorentur, nec nisi post hujus mortem detegantur, posset quis, animo quidem

*) l. c.

**) l. c.

dem iſti homini v. c. aliqua verbera, alapam &c. infligendi, adeo infauſtus eſſe, ut per actionem hanc, quæ mille aliis hominibus ne læſionem quidem intuliſſet, iſtum occideret, neſcius, occiſum habuiſſe cranium pertenue, vomicam pulmonum, anevrysma, &c. Hunc, ut homicidam ex intentione indirecta talem damnant loca allegata, etenim mortuus ex neceſſaria & inevitabili conſequentia datæ alapæ, datorum verberum periit, concurrente quidem dicta conſtitutione morboſa. Quis autem non ſentit, hunc injuſtiſſime damnari. Ajo igitur, eum, *ſi non ſcivit*, vel ſcire non potuit ſingularem illam individualem conſtitutionem, de ejus conſequentiis *non teneri*, *ſi* vero eas *ſcivit*, vel facile ſcire potuit, *tunc omnino*. Quin ex ipſis Juris principiis facile demonſtrare poſſem, eam ſubdiviſionem non negligendam eſſe, quid? quod ipſos Juris Doctores ei in principiis quidem reapſe adſtipulari, verum hucusque juſtam tantum applicationem non feciſſe: adeoque eos ſibi ipſis contradicere. Jureconſulti requirunt ad delictum ex intentione indirecta commiſſum, „ut agens *ſciat*, eadem „facilitate ex ſua actione aliud quid poſſe ſequi, „ac id, quod directe intendit*) adeoque: ſi agens ignorat,

*) NETTELBLADT Diſſ. de homicidio ex intentione indirecta commiſſo. §. 11.

„rat, ex ſua actione præter id, quod directe in-„tendit, eadem facilitate aliud quid ſequi poſſe, „quoad hoc, ſi ſequitur, non eſt in dolo *). Et „contra: ſi agens ſcit, ex ſua actione, præter id, „quod directe intendit, eadem facilitate aliud quid „ſequi poſſe, quoad hoc, ſi ſequitur, in dolo eſt **). Quæ ad homicidium applicata ſic audiunt: „Si is, „qui homicidium commiſit, animum lædendi qui-„dem, non vero occidendi directum habuit, tum, „ſi ſcivit, poſſibile eſſe, læſionem facile in homici-„dium degenerare poſſe, homicidium, quod com-„miſit, eſt homicidium ex intentione indirecta com-„miſſum: ſi vero hoc poſſibile eſſe ignoravit, ſive „facile ſcire potuit, ſive non, ut & ſive ſcire de-„buit, ſive non, nunquam homicidium eſt homi-„cidium ex intentione indirecta commiſſum ***). „Itaque requiſita ad homicidium ex intentione in-„directa commiſſum neceſſaria ſunt: 1) homicidium „ex facto quodam vel non facto noſtro ſponte ad-„miſſo per ſe eſſe ſecutum; 2) agentem animum „nocendi habuiſſe; 3) directe eum non intendiſſe „mortem; 4) ex facto vel non facto ſuo homici-

*) §. 12.

**) §. 13.

***) §. 21.

„dium æque facile ſequi potuiſſe, ac id, quod di„recte intendit, eumque hoc ſciviſſe *).

Iisdem verbis utitur Koch **).

Habes ergo conſentientes, ſaltem reſpectu homicidii ex intentione indirecta. Quæritur itaque, an eadem principia etiam ad homicidium doloſum directum extendi & applicari queant? Si quis alterum adoritur animo occidendi, eum autem vulnerat ita, ut læſus iterum ſervetur, hic pœnam homicidii, utpote non completi, non luet. Si idem læſus autem pereat, vulnere per accidens tantum letali exiſtente, iterum excuſationis momenta præ ſe habebit. At, ſi vulnus neceſſario quidem, at individualiter tantum letale inflixerit, ajo, etiam tum excuſandum eum eſſe, dummodo individualem illam abnormitatem non ſciverit; pari modo enim, ut ſi quis ſclopetum in alterum doloſe ſolverit, glans autem hunc præterierit, vel ſi quis alterius pectus ſiniſtrum perfoderit, hic homo autem ob perverſum ſitum cordis, (quod ſi juſto loco poſitum fuiſſet, vulneratum fuiſſet), *non moritur*, hæc bona fortuna illum excuſat, ita etiam æquum videtur, ut vulnus, triſtiorem eventum habens, quam qui-

*) §. 22.

**) l. c. §. 44.

quidem ſecundum ordinem conſuetum naturæ habere debuerit, non magis gravet, ſed hic, perinde ac prior, tantum de illata læſione, ejusque conſequentiis, ut ita dicam, naturalibus teneatur.

§. 27.

Nimiae autem indulgentiæ ſic à plerisque arguer, quod jam Daniel fecit *), qui ut ſupra annotatum eſt, nullam fere excuſationem, etiam in læſionibus manifeſto per accidens letalibus admittens, ſanguinem ſitit, truculentasque ſententias & carnificem amat: Verum ego magis adhuc reſtringo excuſationis momenta, ac quidem NETTELBLADT, qui locis ſupra citatis, ſimplicem ignorantiam ejus, quod ex læſione data ſequi potuit, ſufficientem declarat pro amovendo dolo, *ſive facile ſcire potuit, ſive non, & ſive ſcire debuerit, ſive non:* Ita, inquam, omnes ignorantiam ſuam prætexent, etiam in caſibus evidentiſſimis, ita infanticidæ, quarum infans ex hæmorrhagia per funiculnm umbilicalem non deligatum periit, omnes dicent, ſe neſciviſſe ſequelas, &c. Ergo, repeto, ii caſus tantum excuſari, vel potius non plenarie imputari poſſunt, cum auctor læſionis non modo conſtitutionem individualem, extraordinariam, adeoque effectum læſionis in eam

*) l. c. §. 20.

eam nescivit, sed & rescire nec debuit, nec potuit. Ubi autem istam individualem constitutionem nosse potuit vel debuit, tenebitur etiam de effectu suæ læsionis in eam, adeoque de morte subsecuta. *Alias* enim malitiosus nequam homicidium dolosum ex intentione directa committere posset, tectus prætenso umbone suæ ignorantiæ.

§. 28.

Hæc cum jam olim proponerem *), carptus fui à Daniele **), qui ita — „Credit Plouc-„quetus, divisionem suam in quæstionibus crimi-„nalibus utilitatem esse adlaturam; judicem scilicet „instrui, num ex intentione directa, an ex indire-„cta vulnerans denatum vulneraverit? At vero ju-„dex à medicis nihil exspectat, nisi majorem cor-„poris delicti certitudinem, & vulnerum letalitas „solummodo ad individuum pertinet. Nec nisi in „rarissimo, ut videtur, casu, ex vulneris natura „potest cognosci, num vulnerans dolose, certe num „animo directo an indirecto vulnus inflixerit? Ho-„minem periisse ex alapa, suffocatione, submersio-„ne, laqueo, fustigatione, vulnere sclopetario, cog-„noscere licet per sectionem; sed quatenus casus

„aut

*) l. c. §. 19.

**) l. c. §. 20.

„aut dolus & quis hic adfuerit, per vulnus decidi „vix poteſt. Et quis in mortuo ex alapa dixerit, „num vulnus fuerit univerſaliter, an individualiter „letale, ex quo tamen hunc periiſſe hominem, „conſtare poteſt. Itaque hæc merito JCtis relin„quenda ſunt — Nam, quæ ad declarandam vul„nerantis intentionem faciunt, quatenus per ſectio„nem patent, cauſſæ patronus atque judex ex con„gruo de vulnerum letalitate judicio ſumere non „omittent, ut medicorum non opus ſit de inten„tione vulnerantis judicio. E contrario nova hæc „vulnerum inſida diſtinctio tantum abeſt, ut adfe„rat utilitatem, quæ potius confuſiones creare vi„deatur. Itaque hæc quoque vulnerum letalium „diviſio, vel neglecta ſanabilitate, admitti non poteſt.

Liceat jam hac occaſione uti, contra imputationes hasce me defendendi, cum neſciam, an qui forte ſint, de quo tamen dubito, qui falſa hæc meæ, evidentiſſime propoſitæ mentis diſtorſione decepti fuerint. Ego dixeram: „Es muſs offenbar „ein Unterſchied gemacht werden unter den Fael„len, da der Thæter die individuelle Bedingungen „wiſſen konnte, oder gewuſt hat, und unter de„nen, da er ſie nicht wiſſen konnte, oder nicht „gewuſt hat: In den erſten Fællen begeht der „Thæter allerdings ein homicidium doloſum, *und*

„ viel-

„*vielleicht ſogar ex intentione directa.* — Im an-
„dern Fall aber nicht, u. ſ. w. An, quæſo, hîc ſermo eſt de inſtructione judicis, num quis ex intentione directa an indirecta quem vulneraverit? An ſermo eſt de deciſione doli ex vulnere? Certe hujusmodi aſſerta de Logica DANIELIS non bene arguere jubent: Ego de conſequentiis, quæ ex neglectione non tam diſtinctionis propoſitæ, quam potius ejus applicationis in caſibus forenſibus reſultare poſſent & deberent, locutus eram, ad quod perſpiciendum non niſi ſenſu communi opus eſt, & notione linguæ germanicæ. Quod confuſiones attinet, hæ admodum ſubjectivæ videntur; nam DANIEL in loco citato *) omnia confundit, læſiones individualiter letales cum levibus & gravibus, cum diſtinctione illa, quæ ex armis JCti deſumere ſolent pro probando dolo, iterumque in nota ſubjungit: Erronea ſunt quoque: Nur hat dieſes, (ſc. an læſio per inſtrumentum ſic dictum letiferum inflictum fuerit, nec ne?) ſeine Beziehung auf die Beurtheilung der gehabten Abſicht des Thæters. Quidni? Conſulat DANIEL JCtos, e quibus inſtar omnium hîc cito KOCHIUM **).

§. 29.

*) §. 20.

**) l. c. §. 441.



§. 29.

Jam vero, de quibus hactenus generaliter dictum est, læsiones necessario quidem, ast individualiter, letales nominabo & recensebo, simulque ad singula exempla luculenter, ut spero, necessitatem hujus subdivisionis læsionum necessario letalium, ejusque applicationis ad casus forenses demonstrabo:

Pertinent itaque ad extraordinarias & individuales ejusmodi constitutiones, facilem ad mortem viam sternentes:

Situs & structuræ notabiliter & evidenter aberrantes & extraordinariæ internæ, ut:

1) Inversus viscerum situs, ut, exemplo quidem rarissimo, cor dextram, hepar sinistram corporis partem occupet *)

2) Situs ventriculi depressus, ut in regionem umbilicalem & profundius adhuc descendat.

3) Lien ad anteriora versus.

4) Vesica altius sita.

Et similia.

Hæc omnia vulnerator rescire nequit, adeoque, si in subjectum ejusmodi incidit, effectus læsionis extraordinarius, consueto ordini naturæ repugnans, illi imputari non potest.

Re-

*) Hoffmann Diss. de inversione cordis.



Regerunt JCti, auctores horum læsionum infaustarum juste tamen damnari posse & debere, cum vulnus, partem ejusmodi, etsi præternaturaliter collocatam vel constitutam lædens, etiam hominem non extraordinarie se habentem occidere facile potuisset, cum vulnera non dentur ad mensuram: Ad quæ respondeo: 1) Eos excusandos omnino non esse, qui forte lienem in dextro hypochondrio feriunt, cum, si lien ibi præter ordinem naturæ non fuisset, certe hepar ibidem læsissent, adeoque læsio æque periculosa fuisset. Verum hoc in eos non quadrat, qui locum feriunt, quem aliâs cum nullo vel exiguo, vel saltem multo minori periculo lædere potuissent, in quo autem mala fortuna partes offendunt, quarum læsio nunc mortem infert. 2) Brocardicum illud: Vulnera non dantur ad mensuram, suas omnino patitur exceptiones; Rationi maxime consentanea ejus explicatio haec est, quod vulnerans vel feriens non possit exacte vim, qua ferit, nec profunditatem vulneris, quod inferre gestit, determinare, adeoque & de omnibus consequentiis, scilicet majori læsione, profundiori vulnere, quam quidem ferre volebat, tenebitur. Justum hoc omnino est, cum & contrarium principium excusationum finem non admitteret, & quilibet, etiam dolosissimus, eas inveniret. Verum, si quis

quis læſionem, per ſe revera exiguam, vulnus, ad menſuram non profundum, reapſe inflixit, ſive dexteritate ſingulari, ſtudio, ſive non, hoc autem vulnere ſuperficiario letaliter læduntur partes, præter naturam *ibi* exiſtentes, ſive naturales quidem, aſt præter naturam ſuperficiei tam propinquas, ut conſuetis in caſibus læſio leviſſima vel levis, ſaltem non letalis exſtitiſſet, id quod autem anatomicus non aſſerere modo, ſed & probare debet, tum certe vulnerans de his, quas prævidere nequaquam poterat, conſequentiis non tenebitur. E quibus apparet, vulnera, ſi quoque ſtatuamus, ea *dum* infligantur, non dari ad menſuram, nihilominus *ad menſuram*, utpote quæ poſt factum exacte capi poteſt, *imputari* debere, & ſuperficiarium vulnus, *ex conſtitutione individuali laeſi* partem nobilem letaliter offendens non æquihabendum eſſe profundiori & majori.

5) Herniæ omnis generis variisque locis poſitæ.

Hernioſus non modo vulneribus, dislocatis partibus illatis, ſed & ictibus obtuſis, calcitratione, verberibus, herniam ferientibus facile occiditur:

Heic manifeſtum eſt, patratorem, ſi ſtatum hernioſum ignoravit, etiam de hujus ſequelis non teneri. Sin autem ſcivit, & nihilominus tantas violen-

lentias hernioſo intulit, tenebitur certe de omni effectu earum.

6) Luſus vaſorum, ut ſi vena major vel arteria inſuetos circuitus faceret, vel ramos majores inſolitis in locis ederet, vel ſi arteria ſuperficiem nimis legeret.

His in caſibus, quos vulnerator vix reſcire poteſt, vulnus leve, non profundum, vel & parti aliâs non pertimeſcendæ inflictum mortem arceſſere poteſt. Barbarum eſſet, auctorem vulneris ideo damnare.

7) Anevrysmata, & varices majores, præcipue interna, tamen & externa per vulnera ſuperficiaria non modo aperiri poſſunt letali eventu, nec declinabili, ſed & per ictus obtuſos, ut ſi quis alterum aut ſimpliciter humi proſterneret, aut pugno pectus, forte haud adeo graviter feriret, ejusmodi varix vel anevryſma internum facile rumpi, mortemque ſubito cauſari poteſt.

Inſcius percuſſor certe non tenebitur de hoc effectu, quem prævidere non poterat, & qui *cum gradu illatae laeſionis* nullam habet proportionem. Sin autem vulnerans gladium v. c. tam profunde adegiſſet, ut arteria, vel vena illa major etiam aper-

aperiri potuiſſet, iſtud extraordinarium in læſo omnino vulnerantem non excuſabit.

8) Cranium pertenue, forte poſt trepanationes tale. „So wird ein Menſch, ait de HALLER *) nach der Trepanation, weil er an der trepanirten Stelle ſtatt eines wahren Knochens nur eine Art von Callus bekommt, durch einen leichten Schlag mit einem Stoke tœdlich verlezt werden kœnnen.

Eadem, quæ ad n. 7. etiam hic applicentur, additis: Si percuſſor ſciviſſet, trepanum læſo haud ita pridem applicatum fuiſſe, eum magis gravari.

9) Cranium, aliaque oſſa carie ſyphilitica aliave oſteocachexia fragilia, levi ictu franguntur, eventu, pro re nata, inevitabiliter letali.

Repeto, quæ ad n. 7. & 8. dicta ſunt.

10) Vaſa umbilicalia patula ac ſanguine ſcatentia **)

Hæc circumſtantia vulneratorem utplurimum latebit, adeoque & effectus vulneris in eam.

11) Vomicæ, aliaque apoſtemata interna clauſa, hactenus ægrum forte vix gravantia.

*) Vorleſungen über die gerichtliche Arzneywiſſenſchaft. I. B. 2. S. 384.

**) BOHN l. c. 86.

Hæc ſe habent ut anevrysmata hoc reſpectu n. 7. Quid autem, ſi vomica profundius ſita, vulnere, adeoque profundo aperiretur? Hoc caſu mors certe inevitabiliter non ſequetur, cum pus partim per vulnus apertum effluere poſſit, partim empyema producturum ſit; dein, ſi quoque mors repentina per ſuffocationem ſequeretur, ejusmodi vulnus, ſi quidem nullum vas ſanguiferum majus ab eo læſum fuerit, propoſitas regulas ſequi cenſemus.

12) Morbi graves, licet chronici, ut æger forte in publicum prodire poſſit, ut phthiſis &c. quorſum & debilitas eorum, qui é gravi morbo convaleſcunt.

Hi læſionibus etiam minus gravibus ſuccumbent.

Lædens, ſi ſtatum debilem læſi ſcivit, ut fere ſcire potuit, eumque nihilominus aggreſſus eſt, & vulneravit, aliove modo læſit, tenebitur de conſequentiis.

13) Cacochymia ſcorbutica, ſyphilitica, carcinomatoſa, (quorſum & ipſa carcinomata occulta) bilioſa, & quæcunque alia, *quatenus* ad ſiniſtrum læſionis eventum concurrit, huc trahenda eſt.

De

De his ZACCHIAS *) „Ex ſtatu vulnerati, præ„cedente vulnus, accipitur conjectura majoris vel „minoris periculi. Quæ enim vulnera in corpori„bus fiunt & morboſis & cacochymis, in conva„leſcentibus, valetudinariis, vel morbis de facili „obnoxiis, & hujusmodi perſonis magis absque „dubio periculoſa; & idcirco prudenter Juriscon„ſulti voluerunt vulnerantem infirmum, ſi ille de„cedebat, teneri de homicidio, etiam vulnere non „exiſtente mortali. — Dato enim, quod vulnus „non mortale poſſit fieri mortale ex corporis im„puritate ipſius vulnerati, videtur vulnerans de„diſſe proximam cauſſam morti, ut in caſu, de „quo Manardus, L. VI. Ep. I. in quo cum ſuper„venerat vulnerato duobus vulneribus læſo, non quidem mortaliter, ut ipſe probat, eryſipelas, ob „corporis impuritatem, mortuus eſt decima quarta; „& cum unusquisque huic periculo ſubjici poſſit, „nempe corporis impuritati, non videtur ullo modo „excuſandus vulnerans, maxime ſi deliberato animo „occidendi vulneraſſe conſtat, ſi vulneribus non mor„talibus exiſtentibus, vulneratus ex corporis im„puritate decedat, ex qua tamen, absque excep„tione vulnerum non deceſſiſſet; nam qui cauſam „damni dat, damnum feciſſe videtur, ut ipſis Ju-

 „ris-

*) l. c. Qu. II. n. 32.

„risconſultis notiſſimum eſt; quibus hæc deciden-„da relinquantur, non enim ſunt undequaqne á „dubio exemta. —

Cui autem Bohnius non adſtipulatnr *) & ejusmodi vulnera potius ad non letalia refert. Videmus ergo, neglectum hujus noſtræ diſtinctionis logomachias & confuſiones parere, & contra, caſus ejusmodi facillime ſecundum eam decidi poſſe: Scilicet ſi vulnerans noviſſet cacochymicam adverſarii conſtitutionem, eumque tamen vulneraſſet, *eventu inevitabiliter letali*, quod autem in hisce difficile evictu eſt, tum teneretur de homicidio, ſin ſecus, non tenebitur.

14) Syſtema nervoſum nimis ſenſile. Sic van Swieten **) ait: „Multi homines adeo fa-„cile irritabile habent totum ſyſtema nervo-„ſum, ut leviſſima de cauſſa ſpasmo, tetano, „ſimilibusque malis corripiantur. — Annon „admodum probabile videtur, etiam á levi „vulnere in talibus hominibus graviſſima „ſymptomata, imo mortem ipſam produci „poſſe? An mors ſecuta tunc ſoli vulneri ut „cauſſæ adſcribi debet?

Reſpon-

*) l. c. p. 106.

**) Comment. ad aphor. 172.

Respondendum est ad hanc quæstionem, vulneri mors debet adscribi, sed ex necessitate individuali, & quoad imputationem judicandum ut n. 13. quamvis hi casus difficillime judicantur, & facile nimium extenduntur. *Manifesta* itaque sensilitas & irritabilitas morbosa adesse debet.

15) Anæmia, quomodocunque inducta. Levis nempe hæmorrhagia talem, inopia sanguinis jam laborantem, necare potest.

Recurrit iterum idem judicium, ac n. 7.

16) Polypus cordis. Qui hoc laborat, febri vulnerariæ, aliisque ex vulnere procedentibus symptomatibus celerrime succumbere potest; Vulnerans heic facilem ignorantiæ suæ fidem reperiet: Bene autem notandum, verum polypum esse debere, non tantum congrumatum & in funes cohærentem sanguinem, qualis in permultis demortuis deprehenditur.

17) Cæcitas. Cæcus in rivum, lacum non profundum pulsus in eo mergetur & suffocabitur, cum modum emergendi non videat, ad præcipitia, scalas altas deduci, præceps dari, vel & dolose progredi jussus delabi & mortem invenire, nec non aliis magnis & inevitabilibus periculis expositus mille modis necari potest.

In hoc exemplo maxime apparet juſtitia vel injuſtitia imputationis: Novi quendam Nobilem, qui etſi cæcus, domum ſuam hortumque adeo penitus noſcit, ut ſine duce cum hoſpitibus ambulare, quin iis varia præmonſtrare poſſit, & ſic inſcios decipiet, ut jurarent, eum, ſi non clariſſime videre, tamen certe cæcum non eſſe: Hæc allego, ut poſſibilitas ignorantiæ de cæcitate alterius eluceſcat; qui itaque hominem, quem cæcum non reputat, ejusmodi periculo inſcius exponeret, cæcus autem illud revera incurrens mortem in eo inveniret, quis homicidii iſtum reum cenſeret? Contra, ſi quis cæcum, quem ut talem novit, modo quodam ſupra dicto vita privat, omnino tenebitur de homicidio, forte doloſiſſimo.

18) Surditas. Surdus pariter equo, curru, celerrime vecto everti, aliisque periculis, qua talis exponi poteſt.

Valet hic idem judicium, ac de cæco.

19) Clauditas, impotentia currendi.

In varia discrimina hujusmodi homines præ aliis induci poſſunt, é quibus evadendi impares indeclinabile fatum experiuntur.

Auctor ejusmodi eventus conſiderandus erit, ac n. 17.

20) Ni-

20) Nimia corporis obesitas.

Convenit hæc ratione periculorum, & judicii cum 17 & 19.

21) Graviditas.

Notum est, gravidam, ictibus, verberibus, calcitratione, aliove rudi modo male mulctatam abortui, metritidi, rupturæ uteri, hæmorrhagiis, & sic vitæ periculo exponi:

Fac itaque, talem mori ex læsionibus ejusmodi illatis, & patratorem scivisse, se gravidam lædere, tenebitur omnino de ista morte violenta: Sin autem fœminam gravidam esse non sciverit, tenebitur tantum de læsione.

22) Denique aetas, & primum quidem infantilis:

Tenerum infantem vi mechanica vel alia, quam adultus non curaret, occidi posse, in aprico est, maxime, cum ea nondum clausae fontanellae applicatur.

Alapam, quæ tenerum infantem necat, infligens excusari non poterit, cum scire debuerit, & potuerit, mortem subsequi eam posse.

Sic & senex decrepitus facilius pessumdatur, quam robustus juvenis. Vulnerans vel laedens in hoc pariter non habebit, quod eum excuset, etsi



laeſionem tantummodo individualiter letalem ſcilicet ex ſenio talem inflixerit: Rari enim erunt caſus, ubi quis cum aliqua veri ſpecie dicere poſſet, ſe ignoraſſe aetatem provectam ſenis, quem laeſerat.

Huc quoque pertinet expoſitio, & derelictio ſine cura, utpote ex qua tener infans omnino perire poteſt & peribit. NETTELBLADT requirit adhuc, ut deſint veſtigia ſollicitudinis matris vitam infantuli conſervandi *).

§. 30.

Hisce adjungi poſſunt pari virtute ſtatus quidam alii, naturales quidem, (ut & aetas, graviditas, obeſitas, non praeternaturales erant), attamen ita conſtituti, ut laeſio, in iſtis praeciſe temporibus & momentis illata mortem, & quidem inevitabiliter arceſſerit: Cum enim praeſto fuerint ipſo læſionis momento, vel & ante illud, non poſſunt ad accidentia vel ſupervenientia referri, praeſertim & ideo, quod nonnunquam vulneranti imputari queat omnis laeſionis effectus, quando quidem ſtatum illum, ad mortem viam ſternentem ſcivit; nunquam autem certo noſſe poteſt ea, quae poſt laeſionem accidere vel non accidere poſſunt. Sin autem ſtatum iſtum, de quo ſermo eſt, ignoravit vulnerans, excuſan-

*) l. c. §. 27.

cuſandus erit, adeoque ejusmodi laeſiones, aequipollent etiam ratione imputationis neceſſario-individualiter letalibus.

§. 31.

Huc pertinent:

1) Ventriculus improbe repletus:

Ictus etiam non gravis regioni gaſtricae *tum* inflictus, ventriculi, ita expanſi rupturam, mortemque inevitabilem cauſari poteſt.

Judicandum eſſe hunc caſum ajo, perinde ac nro. 7. §. 29. Scilicet percuſſor ex hypotheſi non informatus de iſta enormi expanſione, cum effectum illum, gradui illati ictus plane non proportionatum praevidere non poterat, adeoque etiam non tenebitur de eo. Sin autem ſciverit, tum omnino.

2) Ebrietas.

Nimirum ebrius ex periculis, quibus, (forte doloſe) exponitur, ſeſe non extricare poteſt, adeoque non modo hoc reſpectu ſimilis erit cæco, & claudo n. 17. & 19. §. 29. ſed & ob orgaſmum ſanguinis majores hæmorrhagias, acutiorem febrem patietur, vaſa facilius rumpentur in encephalo &c.

Hi

Hi casus iterum decidendi erunt ex ignorantia vel non-ignorantia lædentis de statu læsi.

3) Ira enormis.

Cum hæc etiam sine læsione externa hominem necare possit, mirum non est, læsionem, summopere irato illatam letalem eventum, arte medica indeclinabilem habere posse: Fatendum est, hos casus complicatissimos esse, & mortem modo soli iræ adscribendam, adeoque vulnus vel læsionem pro non-letali declarandam esse, modo ex perdurante ira post læsionem fieri per accidens letalem, modo vero etiam ut individualiter letalem considerari posse, harumque regulas sequi.

§. 32.

His itaque hactenus deductis & demonstratis neminem facile assensum suum denegaturum fore, spero; Iis, qui magis abs autoritatibus moventur, addo adhuc consensum Ill. Halleri, quem cum voluptate in nuper editis Vorlesungen über die gerichtliche Arzneiwissenschaft *) reperio, & sic confirmata video, quæ octo novemve abhinc annis hac in re statueram. „Ein Greis oder ein Kind „kan die Gewaltthætigkeiten nicht ertragen, die „ein

*) B. I. 2. S. 385.

„ein Mann von mittlerem Alter ohne Schaden er-„tragen kœnnte. Die Rechtsgelehrten widerſpre-„chen ſich aber in dieſer Sache ſelbſt, und ge-„woehnlich behandeln ſie die Verbrecher gelinder, „als diejenigen, welche ſie als toedlich verwundet „betrachten (obſcurum quidem)! Man kan aber „fragen, ob das eine gültige Entſchädigung ſey, „wenn z. E. einer ein Kind ſchlaegt, *und weiſs*, „*daſs er ein Kind ſchlaegt*, *und weiſs*, *daſs es den* „*Streich nicht ertragen kan.* Wenn aber eine *un-*„*bekannte Schwäche* ſich bey dem Verwundeten „findet, oder das gebrauchte Werkzeug ungeſchikt „zum Todtſchlagen iſt, alsdenn kan jene Entſchul-„digung mit einiger Wahrſcheinlichkeit angebracht „werden.„

§. 33.

Jureconſulti ergo ejusmodi opprobria, qualia HALLER affert, de contradictione melius evitare non poterunt, niſi fixis certisque principiis, cum debitis diſtinctionibus, pariter fixis ſeſe addicendo: Nec vero omnes exprobrationem illam tangere probat Inclyta Noſtra Facultas Juridica Tubingenſis, quam in ejusmodi caſibus de quibus hactenus egimus, ſententias dediſſe, noſtris his principiis conformes, ſcio: Danturque adeo læſiones abſolute-letales, animo nocendi illatæ, tamen ordinariam pœ-

nam

nam homicidii non promerentes. Posset & quis mortem, ejusmodi læsiones consequentem, morbo vel statui præternaturali læsi potius adscribere, adeoque ex hoc capite lædentem excusare, læsionemque pro non-letali declarare.

§. 34.

Læsio non necessario letalis §. 18. nihilominus letalem eventum nancisci potest, accedentibus post eam feralibus circumstantiis, sine quibus sauciatus probabiliter evasisset: Quod si fit, læsio audit per accidens letalis: His ergo in casibus mors evenit ex caussis, quæ ex vulnere vel læsione non necessario dependent.

§. 35.

Funestæ hæ circumstantiæ aut in læso ipso, aut extra illum positæ sunt.

§. 36.

Læsus quandoque ipse sibi fatum properat, cum

1) medicamenta necessaria respuit,

2) si chirurgica auxilia forte dolorifica renuit, ductus timore, mollitie, aliisve causis.

3) Cum diætæ errores graves committit, monitis neglectis, sive gulæ studens, sive aëri justo

cali

calidiori vel frigidiori ſe exponens, ſive veneri litans, ſive pathematibus animi obtemperans, ut iræ, odio forte in auctorem læſionis, metui & anxio timori, vel & ſi noſtalgia ſimul laboraret.

4) Si pro natura læſionis contra monita medica multum loquitur, clamat, ſeſe valde jactitat, &c.

5) Si apparatum chirurgicum ex ira, impatientia, mollitie ſolvit.

Quæ omnes & ſingulæ circumſtantiæ, cum ab autore laeſionis non dependeant, huic imputari nequeunt, ſed potius eum excuſant.

§. 37.

Multiplicis naturae quoque ſunt circumſtantiae extra laeſum poſitae, quae mortem arceſſere poſſent quæ aliâs non ſubſecuta fuiſſet: Adſunt illae aut tempore ipſo laeſionis, aut poſtea durante morbo accedunt.

§. 38.

Ad prius genus pertinent:

1) Defectus auxiliorum medicorum & chirurgicorum, ex injuria temporis, viae, loci, aliave, ut interim laeſus pereat, non periturus, ſi maturum auxilium praeſtitum fuiſſet.

Quae-



Quaeritur, an ejusmodi vulnus per accidens *hocce* letale, vulneranti in totum an in tantum imputari debeat? Recurrere puto judicium, quod ad laesiones individualiter letales ferri debere contendi; scilicet, si vulnerans defectum auxilii, saltem impossibilitatem maturi auxilii scivit, vel scire debuit & potuit, tenebitur de effectibus, cum hi sub illa hypothesi necessario sequantur, adeoque laesio necessario-letalis, (dantur enim etiam necessitates hypotheticae), evadat. Posset enim & hic dolus subesse, ut si quis alterum in silvam, in desertum secum duceret, eique tantum chirurgorum more venas brachiorum secaret, huic moriendum foret, ex vulneribus aliâs plane non letalibus, & tamen patrator omnem mortis culpam ferret. Est quoque haec mens JCtorum; Exempla aliqua, rem apprime illustrantia, (alio licet sensu), affert DANIEL*)
„Cajum ponamus, ait, Sempronium ex ponte de-
„jicere, ut hic submersus aqua pereat. Num in-
„de excusari poterit Cajus, quod Sempronius non
„fuisset mortuus, si adfuisset adminiculum, aut si
„obesus, vel senex, aqua levior, aut artem natan-
„di non ignorans, natasset, aut si adfuissent, qui
„dejectum excepissent, aut quod in vitam revocari
„potuisset, si mox ex aqua extracto remedia con-
„grua

*) l. c. §. 15 & 16.

„grua adhibita fuiſſent, quum his adjuti, hodie „haud pauci in vitam redeant? Sed ea omnia ſunt „accidentia. — Porro funiculi umbilicalis deliga„tio omiſſa in vivo infante, nuper nato, per hae„morrhagiam mortem inducit, quam prodit κε„νεαγγεια, in cadavere reperiunda. Infans tum di„citur haemorrhagia mortuus eſſe, & letale eſt vul„nus, quod mortis cauſſam ſiſtit. Sed ſecundum „medicinæ legalis ſcriptores plerosque letale dici „nequit. Neque enim mortem ea praebet ratione, „qua abſolute letalia vulnera necare dicuntur: ne„que unum, ſed ſexcenta exſtant exempla, mor„tem ex funiculo umbilicali poſſe averti: quorum „utrumqne efficeret, ut vulnus diceretur per acci„dens letale. Et ſi adfuiſſet obſtetrix, quae funi„culum deligaſſet, haemorrhagia, hinc mors averti „potuiſſet. Nonne vero omnis iudex, idque merito, „matrem, ſi de induſtria funiculum reſecans, eo „eventu deligationem omiſerit, ut induceretur ἀναι„μια, infanticidam eſſe edicet, capitisque damna„bit? Nec tamen medicina legalis tum ſuggerit ar„gumentum, immo, abſolvendam eſſe matrem, ſua„det. — Quod poſterius non ita ſe habet, & ſi apud hunc illumve haec abſurda, & apud nos certe non adoptata theſis reperiretur, non niſi neceſſitatem illius diſtinctionis demonſtraret, an ſcilicet

quis

quis defectum auxilii sciverit nec ne? Pone enim, matrem, quae funiculum resecavit, tradere infantem obstetrici, ut deliget, hanc autem quavis ex caussa deligationem omittere, vel male applicare, ut letalis haemorrhagia sequatur, judex matrem certe damnare non poterit.

2) Auxilia inepta, insufficientia, forte nociva, ex imperitia, ignorantia, timiditate Medici vel Chirurgi, mox post laesionem datam applicita.

His in casibus excusabitur laedens, nisi quidem certo noverit, prout id in vicis minoribus, remotis, aliisque accidere potest, auxilium non nisi ab imperito ejusmodi homine peti posse, utpote quod vulnerantem magis gravaret.

3) Injuria loci & temporis, ut si tempore laesionis pluvia, grando, nives, magnum frigus, calor excedens, paludosa terra laesum inique affecerint.

Judicium quoad imputationem erit, ut ad n. 1.

§. 39.

Ad posterius genus §. 37. spectant:

1) Medela sinistra: Cum Medicus vel Chirurgus ex ignorantia, imperitia, ruditate, negligentia,

tia, temeritate, timiditate, vel ob defectum aptorum instrumentorum *), vel vitiosam horum qualitatem *debita* auxilia non fert, quæ ad sanationem læsi requirebantur.

2) Si, quod fieri solet, adstantes Medicum & chirurgum impediunt, quo minus officio suo fungi possit.

3) Si remedia inepta, nociva à quocunque applicantur.

4) Si prava diæta ægro inscio conceditur.

5) Aëris nimium frigus, ex inopportunitate loci non corrigendum.

6) Nimius ejusdem calor.

7) Aliæ pravæ aëris qualitates, sive endemiæ, sive epidemicæ, (quanquam genius epidemicus etiam aliis à caussis pendeat), sive plane locales, ut si æger in angustum nosocomium, ægris nimis repletum fertur.

8) Si saucius longinquum iter facere coactus est.

9) Si

*) Exemplum habet Scultetus Obs. Chir. 9.

9) Si multum turbatur, ſomnus ipſi non conceditur, ſi pathemata vehementia in eo excitantur.

Hi caſus omnes excuſare ſolent vulnerantem, & magis, quam accidentia §. 38. Verumtamen, ſi illos aut prævidere potuit, vel aliquid ad eos contulit, magis gravabitur, cum & in his ipſis dolus ſubeſſe poſſit.

§. 40.

Sic ergo nec omnes neceſſario-letales læſiones dolo inflictæ directe damnant, nec omnes non neceſſario letales directe abſolvunt.

CAP. IV.

De Letalitate in ſpecie, ſive de laeſionibus letalibus.

§. 1.

Jam monui, non bene enunciari poſſe, an hæ vel illæ læſiones in abſtracto conſideratæ ad hanc vel illam claſſem, an ad letales, an ad non letales, an ad neceſſario-letales, an ſecus? referri debeant, pauciſſimis exceptis, ut perfoſſione cordis, truncatione capitis, conciſione in fruſta & ejusmodi, quæ omnino ſemper & ubique ad neceſſario letales læſiones pertinent, ſed potius ſinguli caſus in concreto & individuo ſpectari debent, ut judicari queat,

queat, quid & quantum data læſio, vel datæ læſiones ad deſtructionem vitæ conferre potuerint & debuerint?

§. 2.

Quod judicium ut ferri queat, opus eſt idea vitæ, & neceſſariarum ad ejus continuationem conditionum.

§. 3.

Vita hominis, vel potius uſus vitæ conſiſtit in exercitio functionum animæ, ſenſuum & motuum ſpontaneorum.

§. 4.

Hoc requirit & ſupponit integritatem cerebri & nervorum, & quidquid ad hoc ſyſtema pertinet.

§. 5.

Functio cerebri & nervorum ſupponit liberum & completum circulum ſanguinis, qui iterum continuatam reſpirationem ſupponit.

Priores functiones in ſcholis audiunt animales, poſteriores vitales, quod ſine iis, jugiter continuatis vita ſubſiſtere nequeat.



Verum & hæ ſuo modo dependent à ſic dictis naturalibus functionibus, ſcilicet digeſtione & aſſimilatione alimentorum, chyli præparatione, & mixtione cum ſanguine, ſanguificatione, nutritione partium ſolidarum, ſecretione humorum; egeſtionibus neceſſariis.

Omnes ergo læſiones, unam alteramve harum functionum vehementer perturbantes, diutius juſto ſuſpendentes, vel & plane tollentes, cauſſæ mortis certæ fiunt, quæ pro natura ſublatæ functionis aut ſubitanea, aut cita, aut denique lenta eſt, quæ poſtrema vero æque certa & inevitabilis eſſe poteſt, ac quidem citiſſima.

§. 6.

Male agunt, qui læſiones & vulnera reſpectu damni, quod inferre poſſunt, dividunt in vulnera capitis, thoracis, abdominis &c. cum evidens ſit, caput ſæpiſſime innoxie vulnerari, aliis vero in caſibus letaliter, & ſic porro. Nec gradus quaſi vulnerationum ſtatui poſſunt, cum, ut recte ajunt, vulnera non dentur ad menſuram, & gradus ille determinari vix poſſit. Nec ex qualitate inſtrumenti nocentis quid colligi poteſt, ſenſu ſcilicet phyſico, licet juridico, cum pariter videamus, læſionem letalem per inſtrumentum, aliâs non mortife-



tiferum, nonnunquam inferri, & vice verſa arma letalia ſæpe illetalia vulnera infligere.

Senſu juridico, ajo, minime, indifferens eſſe, quam quis partem percuſſerit, vel quonam inſtrumento uſus, vel quidnam aliud machinatus fuerit? Hæc enim omnia, etſi dolum directum non ſemper ſtricte demonſtrent, tamen præſumtionem pro dolo exhibent, & certe, excuſationem quoad læſiones individualiter letales, ſi non tollunt, tamen difficillimam reddunt, ut v. c. ſi quis alterius caput malleo gravi percuſſerit, craniumque diffregerit, tenuitas hujus cranii forte obtinens non excuſabit, cum vis, qua malleus adactus eſt, tanta eſſe potuerit, ut & fortiſſimum cranium ei non reſiſtere potuiſſet. Potuit certe lædens ſcire, ex ſuo facto mortem alterius ſequi *poſſe*, adeoque etiam de ejus conſequentiis tenebitur; quibus itaque ſupra allata *) non evertuntur, ſed potius confirmantur.

§. 7.

Hippocrates jam vulnera nominavit, quæ θανατωδέϛατα ſint, ea nempe, quæ in cerebrum penetrent **). Et iterum alio loco vulnera cerebri,

*) C. III. §. 25. ff.

**) Προῤῥητικ. β. p. m. Ed Foes 98. „των δε ἐν κεφαλῃ τρωματων θανατωδεϛατα μεν τα ες τον ἐγκεφαλον.

medullæ ſpinalis, hepatis, diaphragmatis, veſicæ, venæ hæmorrhoidis, cordis pro letalibus declarat *). Sic & Celsus pro inſanabilibus multa enunciat**). „Servari non poteſt, ait, cui baſis cerebri, cui „cor, cui ſtomachus, cui jecinoris portæ, cui in „ſpina medulla percuſſa eſt; cuique aut pulmo me„dius, aut jejunum, aut tenuius inteſtinum, aut „ventriculus, aut renes vulnerati ſunt; cuive cir„ca fauces grandes venæ, vel arteriæ praeciſae ſunt.

Haec autem omnia nimis generalia ſunt, & mille patiuntur exceptiones, fatendum autem, ut jam §. 1. dictum eſt, perpauca eſſe, quae in abſtracto ut neceſſario letalia pronunciari queant. Attamen dicendum, quaenam laeſiones letum afferre ſoleant? Et ſi dein in caſibus oblatis judicium ferri debet, Medicus ex principiis phyſiologicis, pathologicis, ut & therapevticis, experientia nixis enunciabit, an & quatenus laeſio, de qua ſermo eſt, leta-

*) Περι νυσων. α. p. 447. „ἀποθνησκει δε, ἡν τις ἐγκεφαλον τρωθῃ, ἡ ῥαχιτιν μυελον, ἡ ἡπαρ, ἡ φρενας, ἡ κυστιν, ἡ φλεβα αἱρμοῤῥοιν, ἡ καρδιην. & Aphor. VI. 18. „Κυστιν διακοπεντι, ἡ ἐγκεφαλον, ἡ καρδιην, ἡ φρενας, ἡ των ἐντερων τι των λεπτων, ἡ ἡπαρ, θανατωδες. Sic & Coac. 381.

**) De Medicina L. V. c. 26. n. 2.

letalis fuerit? vel quas & quomodo functiones sustulerit, & non potuerit non tollere, ut vitam inde peſſumdaret.

Et primum quidem eas laeſiones conſiderabimus, quae per vires & violentias mechanicas inferri poſſunt & ſolent, progreſſuri ad vires nocivas chemicas & phyſicas, demum ad mixtas.

§. 8.

Integritas cerebri, adeoque & ejus functio laeditur

1) cum id, vel pars ejus deſtruitur:

Effici hoc poteſt per omnem vim mechanicam, qua cranium tegens diffringitur. Modus agendi indifferens eſt, an corpus durum laedens ad cranium, an vero hoc ad illud applicetur. Pertinent itaque huc alliſiones ad corpora quaevis dura reſiſtentia, praecipitationes ex alto &c.

Ita fit, ut peregrina corpora dura, acuta, obtuſa, ut enſes, glandes metallicae, vitreae, lapides, &c. vel & feſtucae cranii fracti, quae nonnunquam a lamina interna oſſium cranii avulſae, nullo earum veſtigio extrinſecus apparente, in cerebri ſubſtantiam penetrent, & molle hoc aeque, ac nobile corpus, ſaltem ex parte deſtruant. Symptomata, ejusmodi laeſionem ſequentia, ſunt: Stupor,

 anaeſthe-

anaesthesia, coma, aphonia, vomitus vehementes consensuales, diarrhœae, alvi & urinae incontinentia, febris, convulsiones, & tandem sequitur mors.

§. 9.

Prostant quidem stupenda exempla laesionum cerebri majorum, sanatarum, etsi magnae portiones cerebri destructae, exemtae, suppuratione consumtae fuerint, quorum aliqua tantum allegabo:

Galenus *) cerebrum vulneratum saepe sanatum vidit, semelque in Smirna Joniae, vivente adhuc praeceptore Pelope, e vulnere effatu digno. (Hoc itaque, pergit, rarissimum est. Verum autem est, quod magna vulnera, quae Hippocrates consuevit nominare διακοπας, afferunt mortem, fatenturque omnes, vulnera cerebri, quae usque ad aliquem ejus ventriculum penetrant, afferre mortem.) Nicolaus Massa **) plura profunda cerebri vulnera sanasse se testatur, inter alia unum, quod usque ad os basilare penetraverat, „quod attestatur radius argenteus in vulnere positus, qui „descendebat usque ad os basilare, ita ut sentiretur percussio facta á radio super osse basilari. Alia

*) Comment. in Aph. Hipp. VI. 18.
**) apud Marcellum Donatum L. V. c. 4.

Alia ex Nicolo Carpo, Brasavolo, Arcaeo, Gemma, Vigone, aliisque affert Idem Marcellus Donatus. Sic & VALLERIOLA *) FERNELIUS **) ejusmodi afferunt, praecipue RHODIUS ***) narrat de ſtipatore, cui cranium ad naſi radicem diffiſſum erat, valetudine tamen reſtituto, & de alio, qui ſariſſa inter oculos per verticem adacta convaluit; quibus caſibus analogus eſt, quem habet Petit ****) cum glans plumbea per naſum, & utramque partem anteriorem cerebri penetraret, & ad verticem erumperet, vulnerato nihilominus ſanato. Nec minus gravia cerebri vulnera ſanata invenies in Eph. Naturae Curioſorum *****), apud SCHENKIUM ******) Petrum de MARCHETTIS †), BORELLUM ††) FABRICIUM HILDANUM †††) AMBRO-

*) Obſ. V. 9.

**) De part. morbis & ſympt. c. 2.

***) Obſ. M. Cent. I. obſ 31.

****) Supplement au traité des maladies chirurgicales.

*****) Dec. I. A. 2. Obſ. 119. Dec. II. A. 1. obs. 29. A. 3. Obſ. 150. Dec. III. A. 1. Obſ. 154. Cent. X. obſ. 2.

******) Obſ. Med. L. I. Obſ. 35. ſs.

†) Obſ. Med.-chirurg. Obſ. 1. 2. 3. 4. 5.

††) Cent. I. Obſ. 88.

†††) Cent. I. Obſ. 13. IV. Obſ. 1. 2. 3. V. 44.

brosium Pareum *) Franciscum Sanchez **) Bianchi ***), Wepfferum ****), aliosque. Multum ad fauſtos ejusmodi eventus conferre videtur amplitudo plagæ, qua cruor & ſanies bene evacuari poſſunt: Ita de Haller *****). Als ich, ait, „in Tübingen ſtudirte, fiel ein Dachziegel einem „zwœlffjährigen Knaben auf den Kopf, und ſchlug „ihm ſoviel davon weg, daſs er mehr als einer „Fauſt groſs Gehirn dadurch verlor: ohne Zükun„gen oder andere ſchlimme Zufälle ward er glük„lich geheilt. Die Urſache dieſes Glükes war, „daſs das Gehirn nur an ſeiner Oberfläche Schaden „gelitten hatte, und der Hirnſchalenbruch ſo groſs „war, daſs man das gewöhnlich im Gehirn unter „ſolchen Umſtänden reichlich erzeugte Eiter be„quem herausnehmen konnte. „Quin & corpora dura diutiſſime intra cranium clauſa latere poſſunt, ut globuli ſclopetarii minores & minimi ******), laminæ cultri, quale exemplum habet Zacutus Luſita-

*) L. IX. c. 22. L. XXIV. c. 19.

**) Obſ. in Oper. p. 375.

***) Hiſt. hepatis p. 445.

****) De apoplexia.

*****) Vorleſungen über ger. Arzn. I. B. II. S. 415.

******) Martini 1 Duzend Beobachtungen das Hirn betreffend.

ſitanus *), fruſtulum ſtili, ſeu pugiunculi ſubtilioris, quod fœmina per quinquennium geſtaverat ſine omni moleſtia, niſi quod ingruente pluvia caput doleret **).

Quæſitum eſt exinde, an forte hæc vel illa particula cerebri vel cerebelli præ alia plus vel minus ad vitæ continuationem conferat, qua læſa vel deſtructa demum fatum inevitabile immineat? Verum docuerunt hiſtoriæ medicæ, non eſſe locum vel particulam cerebri, quæ non aliquando hoc vel illo modo læſa, deſtructa, præternaturaliter conſtituta fuerit, ſalva tamen interim vita.

§. 10.

Hæc omnia autem non impediunt, quo minus in genere vulnera & læſiones cerebri, cerebelli & medullæ ſpinalis profundiores, ſæpe & ſuperficiariæ ita letales pronunciari queant, ut, ſi in caſu aliquo determinato mors ſubſecuta ſit, licet Medicus ac Chirurgus fecerint, quod artis eſt, nullis auxiliis tam internis quam externis neglectis, mors ut neceſſaria conſequentia læſionis conſideranda ſit, adeoque læſio neceſſario-ſive univerſaliter-ſive concurren-

*) Prax. admir. L. I. Obſ. 5.

**) Rhodius C. I. Obſ. 32.



currentibus forte ſingularibus circumſtantiis, individualiter letalis dici debeat.

§. 11.

Ejusdem cenſus ſunt læſiones illæ ſubſtantiæ cerebri, quæ putredinem vel ſuppurationem non compeſcendam*) cauſantur, adeoque pariter, licet ſerius, inevitabilem mortem conciliant.

§. 12.

Alterum genus læſionum, cerebri functionem turbantium, & tollentium conſiſtit in preſſione, in cerebrum agente, absque vera deſtructione alicujus partis.

Si cranium & meninges, ſalvo cerebro lædi poſſent, exinde parum periculi emergeret, verum omnis violentia in cranium agens, ſive id diffringens, ſive non, forte etiam ſine ullis veſtigiis externis, vaſa ſanguifera vel lymphatica intus latentia rumpere poteſt: Fit ſæpenumero, ut dura meninx a ſuperficie interna cranii ſolvatur, & hiet, exinde vaſa nectentia lacerantur, unde ſanguis, vel lympha, vel uterque liquorum effunditur aut cranium inter & meninges, aut inter has ipſas, aut denique, profundioribus vaſis ruptis in ventriculos

*) Bilguer Chir. Wahrnehmungen. ſ. 39.

culos cerebri, aut in profundum ad basin ejusdem. Fit quoque, maxime post contusiones & inflammationes meningis, ut pus generetur, & non modo per pressionem, sed & irritationem noxiam in cerebrum agat.

Omnia hæc fluida extravasata ut corpora peregrina considerari possunt, quorum pressio continua in cerebrum, vel & irritatio & sepsis non potest non mortem inferre.

Effusus cruor non nunquam etiam resorbetur, cerebrumque iterum liberatur: Faustus hic eventus opus est naturæ, per artem suffultæ; dein etiam permultæ prostant observationes, docentes, cruorem extravasatum per vulnera cranii, quæ si non adsunt, arte ope trepani fiunt, feliciter extrahi, ægrumque salvari posse. Quodsi ergo post mortem ejusmodi hominis το extravasatum in ejusmodi locis reperitur, e quibus prævia trepanatione facile expurgari potuisset, trepanum autem non adhibitum fuit, læsio pro letali per accidens declaranda est, sin autem omnia artis auxilia probe applicita fuerunt, læsusque tamen mortuus est, non dubitandum, læsionem necessario-letalem fuisse.

§. 13.

Dantur omnino casus complicati, in quibus difficillime judices, an Medico & Chirurgo negligentia imputari possit, ut:

Si læſus nimis cito decedat, antequam apparatus chirurgicus applicari potuit, (de quo ſupra).

Si nulla plane ſigna adſunt, trepani applicationem ſuadentia, v. g. ſi contingat, quendam remotis arbitris, ſeu nemine vidente, percuti, ut ſine ſenſu & motu mutus concidat, & ſine omni rationis uſu percuſſus reperiatur, nullumque vulnus aut tumor, vel ſimile quid compareat, ex quo violentiam quandam externam, hæc ſymptomata letalia producentem, liceat, concludere, hinc nec æger, nec alius quiſpiam percuſſionem innuere poſſit *).

Si ex minimis fiſſuris cranii præſertim talibus, quæ in ſuturam aliquam incidunt, extravaſatio orta fuerit, illæ autem in oculos non incidant, adeoque locus, ubi trepanum applicari debeat, non patet.

Si extravaſatio procedit ex contrafiſſuris, eadem adeſt difficultas. Si æger poſt læſionem bene ſe habet, adeoque nulla liquoris, cerebrum prementis ſuſpicio movetur, vel & ſi inſtrumentum lædens exile, illique effectui producendo impar judicatum fuerit. In his ergo, an & quid Chirurgo vel Medico imputandum ſit, non ita facile determinari

*) Bohn l. c. p. 209.

minari poteſt: Si enim externa læſio nulla animadvertitur, nec ullum indicium apparet, ubi trepanum applicari debeat, præſtat, ait, RICHTERUS *) à trepanatione abſtinere: Quodſi autem ſigna extravaſati cruoris adſint, ut ſymptomata ſucceſſive graviora, melius tamen eſt, anceps tentare remedium, quam nullum, adeoque trepanum applicare, etſi de loco ubi? non ita certo conſtet. Sin vero aliquoties ſine fructu trepanum applicitum fuerit, pluries id adhuc repetere non conveniet, ne Chirurgus occidiſſe videatur, quem ſervare non potuerat. Licet enim trepanatio per ſe operatio haud adeo gravis ſit, ſuadent tamen plura, præſertim acceſſus aëris, eam haud vilipendendam eſſe: Fuerunt quidem, qui ſepties eam perforationem cum fructu paſſi ſunt **): quin memorabilius eſt exemplum Philippi Naſſavii „qui equo exciderat obverſo in „palum capite, poſtquam terebratio aliquoties in „oſſe frontis atque alibi fruſtra facta eſſet, viſum „fuit trepanum etiam poſteriori capitis oſſi admo„vere, ſi forte repulſu vas quoddam ſanguiferum „ibidem ruptum fuiſſet. Quod ita ſe habere comper„tum :ac poſt *vigeſimam ſeptimam* demum perforatio-

„nem

*) Chir. Bibl. I. 2. S. 95.

**) Scultetus l. c. Obſ. 7. & Glandorpius ſpec. Chir. Obſ. 3.

„nem manifeſtavit ſe in occipite ſanguis coagula„tus. Dictus Dominus aliquando acum comato„riam argenteam per utramque perforati cranii „partem transmittebat, videntibus id ipſum amicis, „qui vulneris obligationi intererant. Ipſe tamen „ſatis feliciter fuit ſanatus, valetudinemque ac in„genium conſervavit integrum, vixitque multos „annos poſtea, ita etiam, ut vini hauſtum majo„rem, ſalvo mentis ſanæ uſu, ferre poſſet. *).

Quodſi ergo in ejusmodi caſu & Medicus rite egit, & Chirurgus artis ſuæ auxilia incaſſum exhauſit & læſus tamen moritur, tum ſic oborta letalitas neceſſaria infortunio potius, quam negligentiæ tribuenda erit, cæterisque paribus omnis excuſatio lædenti denegari vix poterit.

§. 14.

Hujus cenſus, nulla vero excuſatione locum habente quoque ſunt ii caſus, cum cruor extravaſatus in profundo cerebri hæret, vel ſi ad baſin cranii defluxit, unde, etiam aperto cranio, nulla encheireſi extrahi & exhauriri potuit.

§. 15.

Nec non ii, cum ſanguis piceæ ſpiſſitudinis nec eximi, nec, ob loci inopportunitatem dilui & elici poterat **).

§. 16.

*) Stalpart van der Wiel Obſ. Cent. I. Obſ. 8.
**) Bohn. l, c. p. 216.



§. 16.

Vaſa cerebri, ſive venoſa, ſive arterioſa notabiliora, rupta, ita, ut profluvium ſanguinis juge ex iis cohiberi non queat, neceſſario letum inferent: Etenim, ſi quoque cruorem extravaſatum exhaurias, novus ſemper ſuccedet. Attamen bene notandum, & Medicum & Chirurgum quoad reliqua artis auxilia nihil negligere debuiſſe, cum teſte Hasselberg, vel potius Richtero *) etiam hæmorrhagiæ hæ internæ remediis aptis cedant: „Unter den zertheilenden Mitteln (des extravaſirten Blutes) ait, verdienen blos kalte Bähungen, „widerholte Aderläſſe, und fortgeſezte Purgirmittel „Zutrauen; *dieſe Mittel ſtillen* nicht allein *die* innere Blutung, wenn ſie noch fortdauert, ſondern „zertheilen auch die bereits ergoſſene Feuchtigkeiten.

§. 17.

Læſiones, quæ cranii ſuturas dehiſcere faciunt, cerebrum quaſi diſtrahere videntur, & cum repoſitio impoſſibilis ſit, neceſſario letales ſunt, prout & obſervavit Pott **). Novimus quidem in hydro-

*) Chir. Bibl. VIII. S. 257.

**) On the Wounds of the Heat.

drocephalo, cum juniores infantes corripit, ſuturas quoque diſcedere, ſuperſtite vita per menſes & annos: Verum hic plane alia ratio eſt. Quid autem de ſpontaneis illis diſceſſionibus ſuturarum ſtatuendum ſit, de quibus multi auctores obſervationes afferunt, non ita pronum eſt: Sic liber Hippocraticus *) & AETIUS **), cerebrum inflammatum ita intumeſcere ajunt, ut etiam ſuturæ capitis disparentur. Quod idem & affirmat PAULUS AEGINETA ***). FABRICIUS HILDANUS pariter obſervationes affert, ſingulare hoc phænomenon atteſtantes ****) aliique idem teſtantur, quin frequens eſſe in Hibernia, ut capitis oſſa a ſe diſcedant, & notabili ſpatio dehiscant, præcipue in coronali ſutura, ſed & quandoque in ſagittali, idque a cæca ac interna cauſa, absque ulla externa occaſione aut violentia, narrat BOOTIUS †). Quæ vero omnia magna ex parte fabuloſa videntur, ut & obſervatio Stalparti van der Wiel ††) multum dubii relinquit.

§. 18.

*) De morbis popul. VII.

**) Tetr. II. Serm. II. c. 25.

***) L. III. c. 7.

****) Obſ. C. I. obs. I. & Cent. II. obſ, 7.

†) Obſ. de effectibus omiſſis cap. 5.

††) Cent. I. obſ. 1.

§. 18.

Ad læſiones, per preſſionem in cerebrum agentes pertinet & quodammodo ſtrangulatio. Hæc violentia, ſive manu, ſive fune peragatur, comprimit venas jugulares, ſanguini ex cerebro revehendo deſtinatas: Hic itaque in vaſis cerebri accumulatur, quæ exinde valde diſtenduntur, forte rumpuntur, unde preſſio iſta vehemens letalis in cerebrum naſcitur. Veſtigia ſtrangulationis plerumque in collo externo apparent, dum excoriationes, ſugillationes violentiam ibi peractam teſtantur: Vaſa cerebri ſummopere diſtenta, ſanguine turgida, forte rupta, & cruor effuſus deprehenduntur. Quodſi ergo homo ex tali violentia moriatur, omnibus auxiliis, etiam ſectione venæ jugularis in caſſum applicitis, iſta pro neceſſario letali declaranda eſt.

§. 19.

Huc quoque læſiones medullæ ſpinalis trahendæ ſunt: Quodſi hæc prope cerebrum, ubi vertebris colli continetur, quovis modo læditur, vel premitur, ſive per inſtrumentum lædens, ſive per feſtucas, a vertebris avulſas, ſive per cruorem extravaſatum, ſive per luxatas vertebras, mors ſubito & inevitabiliter ſequi ſolet. Attamen hæ læſiones non adeo neceſſariæ letalitatis dici poſſunt,

 quin

quin preſſio ejusmodi quandoque iterum tolli, ægerque ſalvari poſſit: Non ita pridem fœmina, ſarcinam ligni capite portans, labitur, ipſamque cervicem luxat, & paraplegia perfecta ſubito corripitur. Chirurgus advocatus dextre luxationem reponit, & fœmina plenarie poſtea ſanitati reſtituta eſt. Si eadem locis aliis læditur, præſertim vertebris ſimul fractis, inſanabilis paraplegia oritur, lentam quidem, ſed certam mortem inducens.

Generalis hic iterum recurrit regula; ſi nempe poſt talem læſionem omnia artis auxilia fruſtra exhauſta fuerunt, læſio erat neceſſario-letalis, quocum etiam collimat de HALLER *).

§. 20.

Cerebrum etiam per ſolam vehementiorem concuſſionem absque vera læſione in functionibus ſuis valdopere turbari poteſt. Lapſus, ictus, alapa ita agere queunt: Ea concuſſio modo cum aliis forte minus notabilibus læſionibus juncta eſt, modo etiam abſque læſionis veſtigio manifeſto ſubitò necat: Si ſubito necat, probabile eſt, medullam cerebri per eam in motus ſpaſmo analogos raptam, & ſic apoplexiam ortam eſſe: ſi lentius occidit, præce-

*) Vorleſungen über ger. A. 1. B. II. 418.

præcedit atonia tam ipsius medullæ, quam vasorum cerebri, quam sæpe suppuratio sequitur. Jam Hippocrates eam cognovit, dum percussionem vulnerationi opponit *).

Ejusmodi læsio letalis sequitur iterum regulas generales, verumtamen, cum ex simplici alapa quis mortuus est, durum certe videtur, auctorem ideo capitis damnare: Dispiciendum potius, annon forte latens apostema, vasa varicosa, hydatides, data hac occasione rupta fuerint, annon cranium nimis tenue, systema nervosum nimis sensile individualiter letalem læsionem effecerint.

§. 21.

Permultæ observationes docent, læsiones capitis vel potius cerebri semper periculosas & subdolas esse: Ejusmodi læsus levissime ægrotare, quin plenarie restitutus videri, omnibusque suis negotiis fungi, & nihilominus post menses plures ex improviso mori potest, & quidem ita, ut hæc certissima sequela læsionis olim acceptæ sit. Reperiuntur tum in cerebro festucæ latentes, cruor, pus, sanies &c.

*) Περι νȣσων. B. α. ἠν ἐγκεφαλος σειϑῃ τε και πονεσῃ πληγεντος, ἠν δε τρωϑῃ. Cfr. Horatius Augenius Epist. T. I. L. 9. Ep. 2.



Inter exſtantiores obſervationes huc pertinentes plures habet BILGUER *) alias SCULTETUS **), FONTANUS ***) AUDOUX ****).

Ejusmodi læſiones pro re nata, pro eo, an per accidens contigerint, nec ne, jam ad neceſſario- jam ad non neceſſario-letales referendæ ſunt.

§. 22.

Ex hoc lento mortis pede, quem etiam aliis in læſionibus obſervamus, evidenter patet, in dijudicanda letalitate, etiam inevitabili & neceſſaria, ad dies ſic dictos criticos plane non reſpiciendum eſſe; cujus etiam ſententiæ eſt HALLERUS *****). „Eigentlich gibt es bey Wunden und Wundfie- „bern, was auch andere meynen, keine kritiſche „Tage. Oft ſtirbt ein Kranker an einer Wunde, „wann er auch über hundert Tage gelebt hat.„ Ex natura læſionum patet, aliquem etiam letaliter laeſum diu ſupereſſe poſſe, & e contrario aliam laeſionem per accidens tantum letalem celeriter necare poſſe.

Hoc

*) Chirurg. Wahrnehmungen.

**) l. c. obſ. 8. 19.

***) L. I.

****) Journal de Medec. & Chirurg. T. 32.

*****) l. c. I. B. 2. S. 345.

Hoc unum in diutius ſuperviventibus notandum, multiplicem dari occaſionem excuſationis, quam Defenſor arripere poſſit, ex eo, quod forte aut aeger, aut medentes, aut adſtantes, aut denique aliud quid aegrum ambiens quomodocunque ſtatum ejus in pejorem verterit, adeoque ad mortem aliquid contulerit, ita, ut non omnis ſeu integra mortis cauſa laeſioni ejusque auctori adſcribenda ſit, haecque per accidens letalis facile haberi poſſit. Haec vero Judicis attentione digna non ſunt, niſi quidem etiam certa, demonſtrata, & à ſimplicis aſſerti vanitate aliena fuerint.

§. 23.

Ipſorum nervorum laeſiones pariter mortem inferre poſſunt: Nervi majores, etſi non immediate ad organa vitalia pertineant, ſi laeduntur, praeſertim ſi punguntur, vel ſemi ſaucii fiunt, oriuntur violenti ſpaſmi, convulſiones, deliquia, mors ipſa. Si nervus ille ſemi - diſciſſus plenarie diſcinditur, terrentia iſta ſymptomata ceſſant, & laeſus cum vita in gratiam redire poteſt.

Quodſi ergo iſtiusmodi laeſionem mors conſequitur, nervusque laeſus in parte & loco poſitus eſt, ad quem cultro chirurgico acceſſus patet, chirurgus autem diſciſſionem non peregit, laeſio pro

 leta-

letali per accidens habenda erit: Sin autem in loco inacceſſo nervus ſitus ſit, vel ſi diſciſſionem non modo peregerit, ſed & reliqua omnia artis auxilia absque fructu in uſum vocaverit, erit neceſſario letalis.

Hoc unum notandum, in hisce ſyſtema nervoſum nimis ſenſile, & quidem individualiter tale ſubeſſe poſſe.

§. 24.

Si mors laeſionem ganglii vel plexus nervoſi ſecuta eſt, omnibus artis auxiliis adhibitis, illa pro neceſſario letali habenda erit *).

§. 25.

Laeſiones partium, magna nervorum copia praeditarum, praecipue earum, qui cum nervis, organorum vitalium antiſtitibus, notabilem nexum alunt, ſaepe ex hac ipſa cauſſa mortem inevitabilem inferunt. Vulnus, contuſio, nonnunquam ſimplex percuſſio earum partium ſufficere queunt ad mortem producendam. Eapropter ictus, percuſſio in ſcrobiculum ſic dictum cordis directa, ventriculum nempe & diaphragma laedens, contuſio teſticulorum, vulnera horum partium, uteri, leviora vulnera

*) Bohn. l. c. p. 112.

nera cordis, circulum non turbantia, deliquia, convulſiones, mortem arceſſere poſſunt. Qui in pugnis illis Anglicis (boxen) intereunt, huic generi mortis praecipue ſuccumbunt *). Quae omnia ſecundum regulas generaliores, ſaepius jam allegatas judicanda ſunt.

§. 26.

Experientiae quoque conſentaneum eſt, laeſiones tendonum ſequi ſpasmos, convulſiones, & nonnunquam mortem. Quamvis enim tendones non ſentiant, iſta tamen laeſiones hujusmodi conſequi poſſunt: Si laeſio tendonem vel tendones plenarie diſciſſit, nulla periculoſa ſymptomata exinde orientur, ſi vero ex parte tantum diſciſſus fuerit, fibrae muſculares, quarum continuationes illae fibrae tendineae ſolutae erant, ſeſe contrahent, adeoque a vicinis connexis fibris muſcularibus, omnino ſentientibus diſceſſum molientur, id, quod, etſi ipſa ſeceſſio non ſemper ſuccedat **), tamen dolores, ſpaſmos & convulſiones ciebit: Plenaria reſectio tendonis ſemiſaucii periculum avertere ſolet: Quodſi ergo mors ejusmodi laeſionem ſequitur, judicium leta-

*) Michaëlis Med. pr. Bibl. 1 B.

**) Martini von der Empfindlichkeit der Sehnen.

letalitatis necessariae vel non necessariae nititur iterum possibilitate medicationis, & ejus sive applicatione sive omissione.

§. 27.

Alio adhuc modo patitur systema nervosum, cum vis nervea, vis vitalis exhauritur, sive id fiat per laborem internum, sive alio modo.

Ad istum pertinet inflammatio, quæ omnes fere læsiones sequi solet: Nascitur ex stimulo, quem dolor & impeditus humorum transitus in parte læsa cient. Oritur quoque nonnunquam aliis in locis & partibus, quæ ipsæ quidem non læsæ fuerunt, attamen sive per consensum patiuntur, sive per effusos aliunde humores irritantur; ut si sanguis, bilis, urina, fæces, ex naturalibus suis receptaculis læsis proruunt, & in alias cavitates defluunt, ubi itaque stagnant, stimulant, inflammationique ansam dant. Atqui ad formationem, integrumque tenorem inflammationis multum vis vitalis requiritur, & impenditur: Majoribus inflammationibus accedunt febres, sic dictæ vulnerariæ, quæ iterum multum virium absumunt.

§. 28.

Quo major itaque læsio est, quo plures partes simul læsæ, & quo plura vulnera simul inflicta

fue-

fuerunt, vel ſi læſiones plurium generum concurrunt, quorum ſingulæ forte mortem non intuliſſent, ſi vulnera vexata, partesque multæ laceræ ſunt, ut in vulneribus ſclopetariis eſſe ſolet, eo vehementior erit inflammatio, eo major labor naturæ, & jactura virium, eo præſentius periculum.

Ubi ergo ſtimuli, inflammationem ſuſtentantes tolli nequeunt, ſi debita medicatio fruſtra adhibita fuit, ægerque ſic moritur, juſtum eſt, datam læſionem pro neceſſario-letali haberi. Sic HEISTERUS *) inquit: Sunt tamen caſus quidam, ubi chirurgorum in educendo ſanguine ſtudium omne fruſtraneum aut impoſſibile eſt, atque chirurgo culpa neglectæ purgationis tribui jure nequit, ſed vulnus potius, qui à cruore purgari non potuit, letale merito pronunciandum, id quod caſu evidenti illuſtratur.

§. 29.

Huc quoque referendæ ſunt læſiones compoſitæ, ut: omnis contuſio major, ſaccellatio, fuſtigatio, flagellatio, calcitratio, oſſium plurium fracturæ & excoriatio. Quod ad priores attinet, ſigna earum non erunt, niſi ſugillationes & forte ſanguinis profuſiones internæ, quæ autem, ut ſupra notatum, non

*) Inſtit. Chirurg. I. p. 50.

non ſemper demonſtrant, an tales læſiones in genere locum habeant, an vivo an mortuo, inflictæ fuerint: Excoriatio ſive totalis, ſive partialis, ut ſi integumenta capitis detrahuntur, (ſcalptio americanorum), per ſe quidem patet, attamen & hic ſimilia dubia moveri poſſunt, an operatio hæc crudelis in vivo, an in mortuo peracta fuerit, niſi quidem hoc, ut illud, aliunde cognitum fuerit.

Omnes hæ læſiones omnino mortem ex dictis rationibus cauſari poſſunt, & an in caſu quodam ſubſtrato eam revera, an inevitabiliter, an tantum per accidens cauſatæ fuerint, ex regulis generalibus ſæpiſſime allegatis dijudicari debet.

§. 30.

Hujus cenſus quoque eſt ſuppuratio, quæ pariter, ſi magna, ſi diuturna, ſi cohiberi plane nequit, vires valide abſumit, & denique exhaurit: Generales regulæ hic iterum recurrunt.

§. 31.

Sphacelus denique ex inflammatione, læſionis comite, exortus, non modo læſas partes deſtruit, ſed & vicinas trahit, ſanguinem putrido fomite inquinat, & celeriter necare ſolet: Et hîc ſupra dicta quoad imputationem repetenda.

§. 32.



§. 32.

Huc etiam læſiones viſcerum in genere, præcipue ventriculi & inteſtinorum pertinent: Solent quidem aliâs inter læſiones functionum naturalium numerari, verum hæ mortes non ex læſa vel ſublata digeſtione derivandæ ſunt, ſed ex inflammatione, læſoque ſyſtemate nervoſo, cum hæ partes ad eas pertineant, de quibus §. 25 dictum fuit.

§. 33.

Ventriculus præter modo citatas læſiones etiam vulnerationem pati poteſt: Vulnera etiam leviora, ſuperficiaria, in cavum ejus non penetrantia, tamen cruoris effluxum e vaſis ſauciatis in abdomen cauſari queunt; Hic itaque ſtagnabit & putreſcet, inflammatio circa vulnus ipſum urgebit, & res omnis ſoli fere naturae committi debet: Vulnus autem penetrans praeterea contenta ventriculi in cavum abdominis effundet, unde pariter ſtimulus & inflammatio augebuntur: Perpetuus ventriculi motus quoque vulneris ſanationem impedit; Dantur quidem aliqui modi, quibus vulnus ventriculi ſanationem admittit: Exiguum vulnus, membranas ventriculi non omnes penetrans, contractione membranarum laeſarum claudi, majus fauſto eventu ad peritonaeum agglutinari poteſt, ſive ſponte natura,

ſive



ſive auxilio artis: Poſſibile quoque eſt, ut pars omenti vulneri interponatur, id infarciat, & ſanationi anſam det.

Exempla aliqua memorabiliora ſanatorum vulnerum ventriculi exſtant apud obſervatores:

GALENUS aliquando ventriculo vulneratos perſanatos, ait *).

BEKHER hiſtoriam hominis deſcripſit, qui ex incuria cultrum devoravit, facta inciſione in ventriculum iterum extractum, ſalvo homine, qui ideo nomen cultrivori Pruſſici reportavit, quia ſcena prope Regiomontium in Pruſſia agebatur **).

FALLOPIUS vulnera ventriculi non adeo letalia judicat, & mulierem, cui parva glans plumbea ventriculum perforaverat, ſanatam allegat ***).

MATTHÆUS CORNAX, & JULIUS ALEXANDRINUS narrant hiſtoriam ruſtici Bohemi, „qui a venatione ictus eſt venabulo lato in ſtomachum ſub ejus orificio. Vulnus hoc letale & amplum nulla

*) Comment. ad aph. 18. Sect. VI.

**) Beſchreibung des preuſſiſchen Meſſerſchlukers. 4. Koenigsberg. 1643.

***) Opp. T. II. De vuln. pecul. p. 225.

nulla arte vel consilio solidari potuit, paulatim vero labia vulneris tractu temporis occalluere, ita quod vulneratus supervixerit per annos complures *).

Oethæus similia habet de milite robusto, cui chirurgi labia vulnerati ventriculi ad cutem adsuerant **).

Stalpartus van der Wiel narrat de quodam, cujus ventriculi ima pars ita laesa erat ense, ut, quicquid fere cibi intraret, illico hac efflueret: quod vulnus, intestinorum more, ita consuebatur, ut simul ventris musculi filo trajicerentur. Fuitque ille hoc modo restitutus ***).

Schurigius hominem, cui ventriculus & diaphragma sauciata erant, sanavit ****).

Similem casum enarrat Scultetus †).

Mauritius Hoffmannus pariter vulnus ventriculi sanavit. ††).

Duo-

*) v. Schenk Obs. Med. L. III. nro 121.

**) ib. Obs. 22.

***) Obs. med. Cent. I. n. 39.

****) Chylologia p. 401.

†) Observ. 47.

††) Ephem. N. C. Cent. IX & X.

Duorum latorum vulnerum ventriculo inflictorum ſanationem ex actis anglicanis refert van SWIETEN *).

Sic & COGHLAN, LESSERE, & CARTERAT ſimiles afferunt obſervationes **)

Quid ergo ſtatuendum de morte, vulnus ventriculi ſubſecutam? Normam aliam non habemus, niſi quae C. III. §. 20. propoſita fuit. Conſentientem habemus HALLERUM, qui ita ***): Wenn „nicht ein groſser Fehler wider die Regeln der „Kunſt in der Cur der Magenwunden begangen „wird, kann man ſie unmöglich für etwas anders, „als Wunden von abſoluter Tödlichkeit unter vor„ſtehenden Bedingungen erkennen.„

§. 34.

Pari fere modo ſe habent vulnera & laeſiones inteſtinorum: Verum eſt, multa vulnera abdominis iterum facile ſanari, unde plebs ridiculam fovet opinionem, abdomen cavum eſſe, & ejusmodi vulnera nullum periculum ferre: Verum ea vulnera abdominis, quae tam placide decurrunt, aut plane non in

*) Comment. ad §. 170.

**) Memoir. de l'acad. de Chir. de Paris I. p. 591. ſs.

***) Vorleſungen B. I. 2. S. 465.

in cavum ejus penetrarunt, cum ſcilicet adeps etiam in macilentis haud exiguae profunditatis adeſſe ſoleat, aut, ſi quoque peritonaeum intravit inſtrumentum vulnerans, lubrica inteſtina illud evitarunt, aut, quod fieri ſolet, vulnera inteſtinorum ipſorum viribus naturae medicatricibus ſanata fuerunt, accedente forte hac illave fauſta circumſtantia *).

Hiſtoria chirurgica offert quoque vulnera inteſtinorum majora ſanata, quae non ſolum in cavum eorum penetraverant, ſed & talia, quae integrum tubum perſciſſerant, ita, ut, aut plane nullum damnum, aut anus artificialis reſtiterit. Aliâs quoque inteſtina ſphacelo correpta ex vulnere aliquo propendentia, arte diſciſſa, & parte corrupta notabili ſeparata, fineſque eorum iterum conjuncti fuerunt, ſucceſſu plane felici. Nihilominus autem vulnera, inteſtinis inflicta, in letum decurrentia, ſecundum regulas modo allegatas dijudicanda erunt.

Huc quoque pertinet vulneratio œſophagi, dum pro magnitudine vulneris ingeſta per id elabuntur, & in partibus vicinis, in quas intrant, ſtimulum, inflammationem, corruptionem, ſphacelum cient. Pro-

*) Unzer im Arzt. V. B. S. 456.

Proſtant quidem magnorum œſophagi vulnerum ſanationes, à PARÆO, BONACURSIO, PIGRÆO, GARENGEOT, HEVIN *) &c. peractae, valebunt autem & hîc regulae generales toties citatae, cum vulnera œſophagi in locis inacceſſis ſoli fere naturae committenda ſint.

Eodem fere referas laeſiones aliorum viſcerum, hepatis, lienis, renum, uteri: In ejusmodi caſibus in letum decurrentibus, non excuſabunt exempla illa, quae docent, apoſtemata hepatis fauſto ſucceſſu aperiri, lienem canibus ſalva vita exſcindi, renes exulceratos diu geri, uterumque ſectionem caeſaream pati poſſe. Namque exulceratio ipſa haemorrhagias arcet, in experimentis vaſa ſanguifera ligabantur, & uterus gravidus ſeſe contrahere, & vaſa laeſa comprimere poterat. Valent ergo & hic generaliores illae regulae.

§. 35.

Vulnera, quæ præter ſolutionem unitatis, & inde pendantes ſequelas alia adhuc nocendi poteſtate prædita ſunt, ſcilicet venenata, in ſyſtema nervoſum malignum & ſæpe letalem effectum habere ſolent: Ejusmodi vulnera velociſſime inflammantur, pars læſa mirum & inſolitum in modum tumet, vulnus

*) Memoires de l'acad. de Chirurg. de Paris Tom I. p. 589.

vulnus livet, & celerrime in ſphacelum tendit. Reliqua ſymptomata pariter multo atrociora ſunt, quam quidem natura vulneris ſimplicis fert.

Quodſi ejusmodi læſio mortem cauſatur, & vulnerans veneficium armorum non ipſe indicavit, vel naturam veneficii celavit, vel & Medentes, nil ejusmodi ſuſpicati, reliqua, etſi ordinaria & conſueta artis auxilia in uſum vocaverunt, pro neceſſario letali equidem eam declarandam eſſe exiſtimo.

§. 36.

Secundus ordo generum mortis, ex violentia mechanica concernit ea, quæ ex ſublato circulo ſanguinis, utpote ad vitæ continuationem neceſſario, exoriuntur: Circuitus ſanguinis ſiſtitur aut per ſubtractionem ſanguinis tantam, ut reliquus in vaſis ad continuandam circulationem non amplius ſufficiat, aut per ſublationem virium moventium & deſtructionem neceſſariorum organorum.

§. 37.

Sanguis deperditur, cum organa, eum continentia, nempe cor vel vaſa vulnerantnr, ſeu ſolutionem continui quovis modo patiuntur: Letalis erit hæc jactura, cum hæmorrhagia indeſinenter pergit, nec cohiberi ulla arte poteſt, ſive ſanguis



in internum quoddam cavum, ſive extra corpus profundatur: Illas hæmorrhagias vocant internas, has externas.

§. 38.

Cum cor in perpetuo motu conſtitutum ſit, ejus vulnera, maxime ea, quæ majus vas cordis, vel ipſum cordis cavum aliquod tangunt, hæmorrhagiam non coërcibilem, celerrime necantem producent, prætereaque organon princeps circulationis perdent, (qua de re infra adhuc plura), ideoque neceſſario letalia erunt.

§. 39.

Idem valet de arteriis, maxime majoribus ex iisdem rationibus, attamen arteriæ non omnes arti & manui inacceſſibiles ſunt, adeoque harum ſaltem vulneribus opem ferre poterimus: Omnia autem vulnera arteriarum, quæ propter locum, ſitum, magnitudinem auxilia chirurgica recuſant, jacturam ſanguinis vitæque efficient; Hujus cenſus ſunt vulnera aortæ, arteriæ pulmonalis, carotidum, ſubclaviarum, omniumque internarum, ad quas acceſſus non patet.

Ejusmodi hæmorrhagia etiam ad tempus aliquod cohibita, ligaturis, uſtione vel alio modo, ſpon-

ſponte absque data occaſione recurrens, & ſerius necans, ita tamen, ut ars nullo modo eam cohibere poſſit, inevitabilem mortem arceſſet, & neceſſario-letalis erit. Exemplum illuſtrans exhibet BOHNIUS *).

Huc trahi quoque debent læſiones, quæ arteriam quidem non ita afficiunt, ut cavum ejus aperiatur, attamen anevrysma cauſantur. Hoc ſerius forte rumpitur, mortemque affert: Ejusdem ergo cenſus erit, ſi in loco inacceſſo poſitum fuerit: Numerat quoque inter neceſſario-letales has læſiones DANIEL **). Recurrunt itaque etiam hic regulæ generales, ſæpius allegatæ.

§. 40.

Venæ, in quarum cavis ſanguis quidem non tam impetuoſe fertur, quarumque lumina non aperta manent, ſauciatæ tamen ſanguinem effundunt, nonnunquam aliquo cum impetu: Facilius comprimuntur, quam arteriæ, etiam ideo, quod magis ſuperficiem legant, illæ autem profundius decurrant: Verumtamen multæ ſunt, ad quas acceſſus non datur, ut omnes internæ majores, nimirum venæ pulmonales, cavæ, azygos, jugulares internæ, ſubclaviæ, vena portarum &c.

*) l. c. p. 275.

**) l. c. §. 108.

Harum ergo vulnera, hæmorrhagiam non coërcibilem, vitæque jacturam causantia, necessario letalia erunt.

§. 41.

Vires, à quibus motus sanguinis progressivus pendent, resident præcipue in corde: Huic etsi vim propriam, insitam tribuant, patet tamen per experimenta, eam originetenus à nervis derivari, quorum itaque læsio cordis motum sufflaminat; simulac ergo nervi intercostales, vagi, &c, qui ex his oriuntur, cardiaci ipsi discinduntur, vel lacerantur, motus cordis eo ipso brevi cessabit, morsque ingruet. His, cùm nulla medela applicari possit, non nisi necessaria letalitas adscribenda erit.

§. 42.

Destructio organorum, circulationem efficientium, hanc quoque necessario tollet. Hinc vulnera & aliæ cordis læsiones, ut laceratio, contritio, evulsio &c. inter necessario letales pertinent.

§. 43.

Habemus quidem exempla vitæ, læso corde aliquamdiu adhuc protractæ, qualia allegantur ab

HOR-

HORSTIO *), BARTHOLINO **) BLEGNY ***), BONETO ****) in Journal des Scavans †) à WOLFFIO ††) aliisque, verum hæc omnia illetalitatem horum vulnerum nequaquam demonſtrant.

§. 44.

Plus forte pro ſanabilitate vulnerum cordis militare videbuntur illa exempla, quæ vere ſanata & conſolidata vulnera ejusmodi exhibent. Primum allegatur cerva, quæ ſecundum RODER. a Veiga †††), & CASPARUM à Rejes ††††) (ex Alexandrino) antiquam ex venatione ſagittam cordi infixam geſſit, dein cervus, in cujus cordis parenchymate ex teſtimonio WEBERI †††††) globulus carne obductus fuit inventus, qui etiam de apro

 nar-

*) Opp. T. II. L. XI. obſ. 18.

**) Cent. I. hiſt. 77.

***) in Zodiaco. ann. II. m. Jun. obſ. 10.

****) Sepulchret. L. IV. Sect. III. obſ. 23. ubi plura exempla collecta exſtant.

†) Tom. XXXV.

††) Actor. Lipſiens. ann. 1705. p. 287.

†††) Comment. in Librum de locis affect. Gal.

††††) Elyſ. camp. jucund. quæſt. 92. §. 4.

†††††) Anchora ſauciat. p. 79.

narrat, in cujus corde globulus carne & pinguedine circumductus repertus fuit. HENRICUS ab HEER porcum memorat, in cujus cor bacillus acutus ante semestre impactus fuerat *) du VERNEY, teste PEYERO **) in corde vaccae acum sartoriam, unciam unam cum semisse longam, nigram prorsus, multaque ferrugine incrustatam deprehendit. WEPFFERUS possidebat duos clavos ferreos qui infixi fuerant cordi jumenti in monasterio, S. BLASII mactato ***). La Serre in cane globulum dextri cordis substantiæ tendinosæ altius infixum reperit ****) & Cabrolius in homine in basi cordis ad coronariam cicatricem deprehendit duos latos digitos longam *****).

Verum hæc omnia mortem, ejusmodi læsionem subsecutam, non excusabunt, & casus obvenientes iterum ad generales regulas reducendi sunt.

§. 45.

Tertius ordo generum mortis procedit à læsa respiratione: Violentia quaecunque, eam tamdiu cohi-

*) Obs. med. II.

**) Parerg. anatom. p. 91.

***) Eph. N. c. D. II. A. X. p. 313.

****) ibid. D. II. A. VI. obs. 77.

*****) Observ. anat. 26.

cohibens, donec circulatio ſanguinis ceſſaverit, utpote quod exinde ſequi ſolet, omnino letalis erit.

§. 46.

Hae violentiae aut deſtruunt organa, reſpirationi inſervientia, aut eorum functionem tamdiu ſuſpendunt, donec mors conſecuta fuerit.

§. 47.

Ad laeſiones, partem organorum reſpirationis deſtruentes, numerari ſolet plenaria diſciſſio tracheae, ut fines ſeparati non amplius conjungi queant: Fatendum eſt, artem in hisce multum poſſe, ut ex ſanationibus memorabilibus apud Paraeum, Tulpium, Bartholinum, van Swieten, Garengeot *) Poncenard **) aliosque patet; Probe ergo in his diſpiciendum eſt, an ars omnia fecerit, quae facere & poterat, & debuerat.

§. 48.

Muſculi pectorales & intercoſtales, praecipueque diaphragma thoracem dilatant pro reſpiratione. Si itaque magna harum pars diſcinditur, contun-

*) Traité des Operat. de Chir. T. II.

**) Memoires de l'academie Roiale de Chirurgie de Paris T. I. p. 589.



tunditur, aliove modo destruitur, aut, si nervus phrenicus, à quo diaphragmatis motus pendet, laeditur, conditiones, sine quibus respiratio peragi nequit, deerunt, laesionesque istae inevitabilem mortem afferent.

§. 49.

Per diaphragma vulneratum quandoque pars contentorum abdòminis in cavum thoracis penetrat, pulmones comprimit, & letum infert.

§. 50.

Fractura plurium costarum simul, ut & earum luxatio, facile quoque letalem ideo eventum habent, quod respiratio his laesionibus sufflaminatur.

§. 51.

Paris fere census sunt fracturae sterni, quae, teste LA MARTINIERE*) saepe repentinam mortem causantur.

Haec vero omnia §. 49-51. iterum generalibus regulis subjiciuntur, cum in iis dextre adhibita auxilia multum valeant.

§. 52.

*) ib. T. IV.

§. 52.

Magna & profunda pulmonum ipſorum vulnera, ut praecipuarum ad reſpirationem facientium partium, tam per haemorrhagiam, & oppletionem vaſorum aëriferorum per cruorem extravaſatum, ut & pulmonum compreſſionem per eundem, quam per ipſam deſtructionem notabilis partis hujus organi functionem illam vitalem delebunt, necemque inferent:

Proſtant quidem etiam ſtupenda exempla maximorum vulnerum, thoracem penetrantium, ſanatorum: Verum & hic generales illae regulae applicandae.

§. 53.

Reſpiratio quoque tollitur, cum pondus atmoſphæræ ipſam pulmonum ſuperficiem premit, eosque ita comprimit, ut alternos motus, ad reſpirationem neceſſarios non amplius peragere poſſint: Hoc fit, cum utrumque thoracis cavum per lata vulnera, etſi non profunda aperitur: Ita mors ſubito ſequi poteſt, id quod per experimenta demonſtravit VESALIUS *). Cum autem plura nihilominus vulnera thoracis, utrumque cavum penetran-

*) De fabrica Corp. hum. L. VII. p. 823.



trantia exſtiterint, quæ non necaverunt, ſed ſanata fuerunt, exinde dubia contra letalitatem eorum enata ſunt, quæ denique per experimenta van Swieten *) in tantum ſoluta fuere, ut crederetur, aërem tum demum per vulnus in cavum thoracis penetrare, cum hoc amplius ſit, quam glottis: Verum & hæc opinio per experimenta Hemmanni iterum enervata videtur: Er öffnete **) einem Hunde beyde Bruſthöhlen, und machte auf jeder Seite den Einſchnitt zwey Zoll lang. Der Hund ſchien zwar matt zu ſeyn, und holte geſchwinder Othem, fras aber dennoch die vorgelegten Speiſen. Nach fünff Tagen wurden die Wunden mit Heftpflaſtern zugezogen, ſie heilten, und der Hund befand ſich ſehr wohl.

E quibus omnibus apparet, aërem per vulnera thoracis intrare quidem poſſe, haud ſemper autem reapſe intrare, cum vulnus longum non ideo quoque ſemper amplum ſit, quod forte in experimentis Hemmannianis ſic ſe habuit, vel cum pulmones ad plevram arcte accumbentes huic per humidum intercedens quaſi agglutinati ſunt, vel cum revera per membranas præternaturales cum ea cohærent.

§. 54.

*) Comm. ad §. 170.

**) Chirurgiſche Aufſæze v. Richter Chir. Bibl. IV. B. S. 684.

§. 54.

Eadem accidere poſſunt, cum alterum quidem tantum cavum extus apertum eſt, vulnus autem per mediaſtinum in alteram pariter penetrat, ut itaque aër, per vulnus externum intrans, etiam per mediaſtinum perforatum in alteram cavitatem thoracis tranſire poſſit.

§. 55.

Similia quoque evenire poſſunt, cum magnus ramus arteriæ aſperæ perſciſſus eſt *).

§. 56.

Quandocunque ergo mors per ejusmodi læſionem accidit, ſive ſubito, ſive poſt adhibitam curam legitimam, nullo alio accidente interveniente, læſio omnino neceſſario letalis judicanda eſt.

§. 57.

Organa reſpirationis etiam aliis modis absque deſtructione in functione ſua turbantur, impediuntur, ut mors inde ſequi queat:

Huc pertinet denegatio acceſſus aëris in vias aëriferas;

§. 58.

*) van Swieten ad §. 107.



§. 58.

Primus modus eum denegandi eſt, cum vires moventes impediuntur, quo minus rite agere poſſint; Hæ reſident in muſculis §. 48. indicatis: Quodſi ergo thorax & abdomen faſciis, manubus, aliisve potentiis ita comprimerentur, ut thorax dilatari non poſſet, idque tamdiu continuaretur, donec circulatio ceſſaret, hæc violentia omnino pro cauſa mortis abſoluta habenda eſſet.

§. 59.

Idem eveniet, ſi alterna dilatatio & coarctatio thoracis per vehementem in nervos agentem ſtimulum ita turbatur, ut reſpiratio inde ceſſet: Effici hoc poteſt per violentam, nimis protractam titillationem hypochondriorum & laterum in hominibus ſenſibilibns, qui itaque titillando necari poſſunt.

§. 60.

Si quis ſe ipſum peremturus reſpirationem tam diu & tam pertinaciter cohiberet, donec ea plane ceſſaret, ſuicida merito cenſendus eſſet.

§. 61.

Alter modus, ingreſſum aëris in vias aëriferas denegans eſt harum obturatio: Ita os naresque

que manu, linteis, cineribus, arena, culcitris, lectis, vestimentis, fœno aliisque corporibus occludi & obturari queunt, ut aër intrare plane nequeat: Suffocatio hæc violenta omnino læsio erit necessario-letalis.

§. 62.

Huc quoque pertinent spontanea revolutio linguæ, qua miseri Nigritæ desperabundi sese necare nôrunt; Se ipsum trucidans hac methodo uti posset, quod examinandum.

§. 63.

Eodem spectat submersio, seu suffocatio in aquis, cœno, aliisque corporibus fluidis vel semifluidis, ut sanguine, &c.

§. 64.

Nec non strangulatio, cum aspera arteria comprimitur, sive manu, sive fune.

§. 65.

Denique huc pertinet suffocatio per motum improbum, quem quis alterum facere cogit, sive in cursum eum agitando, sive alio modo. Ita nempe sanguis ad cor & pulmones vehementer accumulatur, vasa sanguifera distenduntur, aërifera

com-

comprimuntur, & respiratio non amplius locum habet: Concurrit quoque exhaustio virium. Sic cervi violenta venatione (par force) & equi veloci cursu nimis concitati, interimuntur.

§. 66.

Interest, signa suffocationum, eorumque rationes nosse, cum ab iis judicium pendeat, an quis vivus an mortuus suspensus, vel in aquas projectus fuerit, &c.

Quamdiu respiratio viget, sanguis pulmones permeans alterna expansione & compressione pulmonum per ipsos versus cor sinistrum urgetur & promovetur: Cessante autem respiratione, pulmones manent collapsi, sanguinique liberum transitum per ipsos denegant; Interea autem cor dextrum pergit sanguinem in pulmones urgere, quantum quidem potest: Cum autem resistentia in pulmonibus major sit vi cordis dextri, rami arteriosi pulmonum vehementer expandentur, sanguisque in iis stagnabit; Tum etiam cor præpeditur, quo minus omnem, quem ex venis cavis recepit, sanguinem expellere possit, adeoque pariter ultra modum dilatabitur; Hæc restagnatio in atrio cordis dextri, & sic retro in venis cavis, & in universo corpore sentietur:

Præ-

Præcipue hæc ſanguinis accumulatio, & expanſio ſyſtematis venoſi obtinet in capite, tam externo, quam interno, cum venæ jugulares impeditæ fuerint, ſanguinem contentum in cavam ſuperiorem evacuare, carotides autem pergant ſanguinem in caput congerere, ſic vaſa omnia capitis, maxime autem venoſa non poſſunt non ultra modum repleri & expandi; Exinde naſcitur rubor & livor faciei, ejus, ut & oculorum turgor, lingua tumida, exſerta, quæ omnia durante ipſa ſuffocatione accidunt, & poſt mortem adhuc ſubſiſtunt. Eapropter in ſuffocatis poſt mortem cor dextrum, vena cava, vaſa pulmonum & cerebri valdopere dilatata, ſanguine turgida, nonnunquam disrupta reperiuntur, quæ itaque ut tot ſigna ſuffocationis conſiderantur. Præterea ſtrangulatio peracta ſeſe prodit per veſtigia in collo relicta, utpote ſugillationes, cutem excoriatam, per ungues, ipſum funem, & ejusmodi.

§. 67.

Præter generalia ſuffocationis ſigna apud ſubmerſos in aqua, cœno &c. §. 63. ſi quidem inſpectio mature ſatis inſtituitur, occurrere ſolent: Oculi aperti, pallor faciei, (ob contactum frigidi corporis fluidi) & nonnunquam ſpuma, aqua, cœ-

num, liquoresve colorati in trachea, ejusque ramis. Quod ſpumam quidem attinet, hæc nec in affirmativam, nec in negativam ſententiam probare poteſt, cum nec in omnibus ſubmerſis ſpuma reperiatur *), nec viciſſim omnes, quorum in trachea poſt mortem ſpuma deprehenditur, ſubmerſi fuerint, nam ſpuma ex inquilinis quoque humoribus in omni ſuffocatione, etiam ex cauſſa interna accidente, oriri poteſt.

Dein etiam ſpaſtica glottidis contractio obtinet, quæ nonnunquam etiam poſt mortem adhuc durat. Dethardingius opinabatur, in omnibus ſuffocatis epiglottidem glottidi firmiter appreſſam eſſe, quod autem non ita ſe habet.

§. 68.

Notandum autem, in his omnibus §. 58-65 iterum quæſtiones recurrere, an & quænam auxilia artis cæteris paribus applicari potuerint, potuiſſent, & revera applicata fuerint? quæ ſecundum pluries citatas regulas generales dijudicandæ ſunt.

§. 69.

Hactenus ſermo fuit de turbatione & ſublatione ſic dictarum functionum vitalium: Hæ autem

*) De Haen Rat. Med. T. XV.

tem per ſe diu ſubſiſtere nequeunt, ſed neceſſe eſt, ut abs functionibus ſic dictis naturalibus ſuſtineantur, ſcilicet à digeſtione, ſanguificatione, ſecretionibus, nutritione, excretionibus, quæ omnes ad integritatem œconomiæ animalis pertinent. Hinc læſiones, unam alteramve harum functionum tollentes, ſerius quidem, at æque inevitabiliter & neceſſario mortem inferent. Vix quidem erit ejusmodi læſio, quæ non hæmorrhagiam, inflammationem, ſuppurationem, ſtimulum ſyſtemati nervoſo incumbentem comites, & ad mortem concurrentes habeat, verumtamen jam mors conſiderari debet, quatenus ab illarum functionum turbatione vel ſublatione pendet.

§. 70.

Si œſophagus vulneratur, ingeſta non modo per vulnus elabuntur, prout §. 34 dictum eſt, ſed & ventriculus neceſſariis alimentis privabitur: Mors autem in ejusmodi caſibus citius & potius ex priori, quam ex poſteriori cauſſa eveniet.

§. 71.

Ad reſtitutionem particularum nutrientium, ipſiusque ſanguinis & humorum, quotidie jacturam patientium, requiritur chyli, in ventriculo & inte-



ſtinis generati, liber tranſitus ex his in ſyſtema ſanguiferum; organa huic inſervientia ſunt vaſa lactea, receptaculum chyli & ductus thoracicus: His itaque læſis, aut digeſtio non perficitur, aut chylus in abdomen, vel pro re nata in cavum thoracis effundetur, & hydropem lacteum cauſabitur: Præter hæc damna autem ſanguis particulis nutrientibus fruſtrabitur, totumque negotium nutritionis ceſſabit, morsque inevitabilis ſequetur, ut & experimenta Loweri *) demonſtrant. In his læſionibus nec à chirurgicis nec medicis auxiliis multum exſpectandum, adeoquæ illæ, quando eventus letalis erat, etſi poſt hebdomades demum acciderit, niſi quidem ſecundum regulas generales aliud quid ad mortem contulerit, pro neceſſario-letalibus declarandæ ſunt. In his & ſimilibus præcipue obtinet aberratio à diebus ſic dictis criticis.

§. 72.

Ductus biliferi, tam hepaticus, quam cyſticus & choledochus, ut & veſicula fellea ipſa vulnerata bilem neceſſario in abdomen effundent, adeoque, præter inflammationes exinde oriundas, hoc quoque damnum emerget, ut humor hic, ad digeſtio-

*) De corde p. 229.

geſtionem maximopere faciens deficiat, morsque tandem, licet forte ſero, inevitabiliter tamen ſequatur.

§. 73.

Vulnera pelvis renum, ureterum, veſicæ, letalem ſemper eventum habebunt, niſi forte cum aliis partibus coaleſcant, vel vulnus in fiſtulam urinariam, qua urina perpetuo ex corpore eliminatur, abeat. Mors ſcilicet ſequetur ex ſtimulo, inflammatione, ſphacelo, quæ urina in abdomine ſtagnans cauſabitur. Exempla de innocua veſicæ urinariæ ſectione, quin de nephrotomia auctorem læſionis non excuſabunt, ſi nulla vitia omiſſionis vel commiſſionis durante morbo læſi concurrerunt.

§. 74.

Denique memorandæ ſunt deſtructiones totales, ut: Alliſiones ad parietem durum, quibus totum fere corpus confringatur, id quod infanticidæ nonnunquam perpetrant; Conculcationes, ſi quis pedibus elephantum ſubjicitur; Projectio ad feras, leones, tigrides, urſos, canes, qui ab Hispanis olim americanorum infantibus ſaginati fuiſſe perhibentur; ſunt quoque exempla, ubi infantes trucidati ſuibus devorandi propinati fuerunt. Sic & aliæ contritiones totales per currus, molendinas &c. cogitari poſſunt.



§. 75.

Hactenus læſiones ex vi mechanica oriundas conſideravimus: Sunt autem præter has vires, aliæ, non ſecundnm leges mechanicas, quatenus cognitæ ſunt, ſed ex chemicis rationibus, ſcilicet ex partibus internis conſtitutivis, ſeu ex mixtione chemica in corpus humanum agentes. Ejusmodi corpus, quod chemico modo vitæ vel ſanitati hominis deſtruendæ par eſt, venenum audit, ejusque applicatio *veneficium.*

§. 76.

Phyſico vel medico reſpectu nil intereſt, num dolus an culpa, an caſus ſubſit, quorum inquiſitio Jurisconſulti eſt, non Medici, etſi hic etiam ad illa detegenda nonnunquam facere poſſit.

Ipſius autem veneficii determinatio difficilior eſt, quam judicium circa læſiones mechanicas, cum venena tam multiplici, & ſæpe obſcuro modo agant.

§. 77.

Signa veneficiorum dantur generalia & ſpecialia: Illa magis vaga & ambigua ſunt, quam hæc; Certitudo autem demum ex ſpecialibus effectibus ſingu-

ſingulorum venenorum, & reſiduis eorum, ſi deprehendi poſſunt, emergit.

§. 78.

Inter generalia ſigna pertinent: Subitanea vehemens ægritudo, absque evidenti cauſſa, mors repentina; Symptomata acutiſſimum hunc morbum concomitantia erunt: Ardor oris, faucium, œſophagi, dolores in ventriculo, inteſtinis, dysphoria univerſalis, nauſea, vomitus, diarrhœa, ſingultus, pallor, inſignis mutatio phyſiognomiæ, vertigo, tumor abdominis, faciei, ſudores frigidi, deliria, ſpaſmi, convulſiones, deliquia, livor unguium & labiorum, frigus univerſale. Probe autem notandum, hæc omnia etiam ex aliis ſtatibus morboſis naſci poſſe.

§. 79.

Confirmatur autem ſuſpicio veneficii, cum æger enunciavit, ſe in cibo, potu, medicamentis ſolitis, extraordinarii quid quoad ſaporem, odorem, colorem, aſperitatem vel lævitatem &c. animadvertiſſe, quibus ingeſtis mox ſymptoma unum alterumve, vel plura ſimul ex enumeratis ſenſerit.

§. 80.

In dijudicando veneficio, quum mors ſecuta eſt, (etenim & a veneficio plures evadunt, perinde



ac ex læsionibus mechanicis), non modo constare debet de dato vel applicito veneno ipso, sed & de ejus præparatione, & dosi; Etenim vix datur venenum, cujus minima dosis, ut e. g. octava pars grani non innocue ferri possit. Cum autem dosis non nisi ex confessione rei, semper dubia, cognosci possit, vix aliud quid superest, nisi eventus ipse, é quo judicare possimus. Quadrant et huc suo modo regulæ generaliores, quas in dijudicanda letalitate necessaria & non-necessaria proposuimus, scilicet: Dantur singulares quoque dispositiones, ad hoc illudve venenum mirum in modum sensiles, vel huic illive facillime succumbentes, prout & ratione medicamentorum ejusmodi idiosyncrasias novimus; Hæc cum dosi pharmaci, si quidem erui potest, comparari debet, si v. g. quis ex opii grano uno, duobusve, utpote quam dosin adulti etiam opio non adsueti tolerare solent, moriretur, casus secundum regulas circa individualiter letales læsiones dijudicari deberet; Dein quoque interest scire, an & quatenus antidota & auxilia applicari potuerint, & applicita fuerint, nec non, an & quænam vitia omissionis & commissionis durante morbo, brevi vel diuturno, apud ægrum, adstantes, Medicum &c. occurrerint? Secundum hæc ipsius letalitatis necessitas vel non-necessitas erit judicanda.

§. 81.

§. 81.

Venenorum numerus ingens eſt: Depromi poſſunt ex omnibus naturæ regnis, & dantur certe, quæ vulgo incognita ſunt, ſaltem ratione præparationis & applicationis. Sunt, quæ non niſi recentia vim deleteriam exerçent, ſucceſſu temporis mitia evadunt. Alia ſecundum ſolum natale magis vel minus nociva ſunt. Dantur, quæ magna demum doſi comeſta, vel ſæpe repetita ut venena agunt, multa ſuo jure in materiam medicam ſuſcepta, & ſuo loco ſalubria ſunt, ita, ut ipſa veneni definitio exinde dubia facta & obſcuritatem paſſa ſit. Hinc recenſio venenorum noſtros in fines arbitraria eſt; Poſſemus ea tantum allegare, quæ, ſit venia verbo, uſitatiora ſunt, cum autem rariori caſu etiam veneficia per toxica minus cognita patrari poſſint, aliqua ſaltem cognitio hiſtorica ſi non plane omnium, tamen plerorumque venenorum, ſuas in claſſes digeſtorum, hîc ſuo loco poſita erit.

§. 82.

Quemadmodum medicamenta, ſic & venena diverſiſſimæ ſunt naturæ, quæ non niſi ex diverſo eorum operandi modo apparet, cum chemica eo-

rundem disquisitio vix ullam lucem affundat; Hinc etiam classificatio his fundamentis nititur.

§. 83.

Prima classis continet ea, quæ arrodendo partes solidas nocent, unde quoque acria, corrodentia audiunt. Proximus effectus est inflammatio partis sensibilis, cietur affluxus humorum, tumor, & sphacelus brevi sequitur. Partes solidæ nonnunquam revera solutionem continui patiuntur. Dum hæc fiunt, dolor immanis urget, mox spasmos & convulsiones ciens, tandem mors sequi solet.

§. 84.

Inter hæc primum locum occupat arsenicum cum omnibus suis mineris & præparatis. Vulgare est album, admistio partis sulphureæ efficit auripigmentum, realgar, sandarach, risigallum. Cobaltum est minera arsenici, multumque hujus continet *).

§. 85.

*) Notanda hic est aliqua politiæ medicæ incuria, quæ Pharmacopolis vetat, ut arsenicum vendant, cobalti autem (Mukenstein) venditionem publicam permittit, quocum æque veneficium patrari potest, ac per arsenicum ipsum. Dein quoad auripigmentum occurrit in Halleri Vorlesungen &c. II. B. I. S. 188.

§. 85.

Modi, quibus arſenicum à deteſtandis veneficis alteri ingeritur, ſunt aut crudi, quibus ruſtica gens utitur, ut ſimplex immiſtio arſenici etiam non ſoluti in jentaculum, pultem, jus & ejusmodi; ubi ſæpe ſtrepitu, quem inter manducandum ciet, proditur, aut aſtutiores, cum coccoladæ, pani biſcocto, aliis cibis potibusve in forma ſoluta, ut aqua Neapolitana &c. immiſcetur; Novimus quoque, ipſis medicamentis inſidioſe admiſtum fuiſſe.

§. 86.

Symptomata, arſenicum, præcipue majori quantitate deglutitum inſequentia, ſunt: ardor oris, faucium, quæ inflammata apparent, ventriculi, inteſtinorum: Integrum ventrem occupat atrox dolor, oriuntur nauſea, vomituritio, vomitus vehementiſſimi, ſæpiſſime recurrentes, multi diarrhœa & teneſmo afficiuntur, vertigo, ſpasmi, convulſiones ingruunt, ſequitur ſingultus, mors.

§. 87.

S. 188. paſſus: Der gelbe Arſenik, oder das Auripigment iſt für giftig gehalten worden, aber mit Unrecht, nemlich der natürliche, nicht aber der künſtliche. Nos mitius eſſe venenum, aſſerimus, quam arſenicum album, at ſemper inter toxica numerari debere. Cfr. Nota Weberi ad hunc paſſum. II. B. 2. S. 241.



§. 87.

Signa post mortem sunt: Inflammatio oris, faucium, nisi quidem toxicum in vehiculo, quod partes hasce à violenta ejus actione tueri potest, propinatum fuerit. Inflammatio, gangræna occupat præcipue ventriculum, & intestina, quæ turgere solent. Tunica villosa plerumque hic ibi exesa est, & maculæ plures rubræ, lividæ, atræ, nonnunquam & loca perforata reperiuntur. In cavo intestinorum ichor fœtidus deprehendi solet. Sphacelus etiam ad alia viscera extendi potest, cor flaccidum est, & perinde, ac reliqua vasa sanguifera majora sanguinem coagulatum continet. Nonnunquam etiam in superficie cutis externa vibices & maculæ lividæ ac nigræ apparent.

§. 88.

Alii modi applicationis præter ingestionem per os dantur, ut applicatio forma clysmatum. Præcipuos effectus nocivos tum in intestina crassa edet, dolores colici maxime urgebunt, & vestigia post mortem in his inprimis invenientur.

§. 89.

Balneis immistum dolores immanes & sphacelum in genitalibus maxime ciet, quod milites illi, qui

qui ejusmodi balneo pro abigenda ſcabie utebantur, experti ſunt *).

§. 90.

Capiti forma diapasmatis inſperſum, pariter dolores & ſphacelum in iis partibus, quas attigit, cauſatur.

§. 91.

Vulneribus vel ulceribus immiſſum, forma ſicca ſive fluida, atrociſſimos dolores, convulſiones, ſphacelum, mortem arceſſit. Novi tamen, auripigmentum á chirurgaſtris ſæpe profuſe ſatis excreſcentiis varii generis inſpergi, funeſtis ſymptomatibus non inſequentibus.

§. 92.

Arſenicum quoque forma pulveris excitari, & cum aëre permiſceri poteſt, ut in choragiis; afficiet tum nares, ora, aures, faciem, fauces, tracheam, pulmones, & genitalia mulierum, ſalivæ permiſtum etiam ex parte deglutietur. Odor quidam alliaceus id rerum gnaris prius prodet, quam magnum damnum inde enatum fuerit; Nam leviter frictum & calefactum jam aliquantum allium ſpirat. Tabaco

*) Degner de dyſenteria p. 342.



baco errhino miſtum, in nares attractum, horrenda ſymptomata, mortem ipſam cauſatur.

§. 93.

Denique ut vapor ſublimatus aëri immiſceri poteſt, quod fieri ſolet, ubi cobaltum toſtioni ſubjicitur. Toxicum illud, quo Clemens VII. Pontifex maximus teſte Paræo *) periit, utpote qui præeuntis venenatæ facis fumo in corpus admiſſo interiit, ſine dubio arſenicalis indolis erat. Tabaco incenſili permiſtum, & cum ejus fumo hauſtum pariter funeſtos habebit effectus.

§. 94.

Certitudo arſenici appliciti tum demum emerget, cum reſidua ejus, ut pars corporis delicti deprehenduntur; Quærenda hæc ſunt partim apud infectos ipſos, in eorum ventriculis & inteſtinis, in excrementis rejectis, per vomitum vel alvum, vel in reſiduo ſuſpecto potu, cibis, medicamentis, penu farinæ & ejusmodi. Experimenta, quæ arſenicum occultum detegendi cauſa inſtituuntur, ſunt: Suſpecti corporis aliquid prunis candentibus injicitur, & attenditur, an odor alliaceus, arſenico proprius aſcendat? Solent quoque lamina

cuprea

*) Opp. L. XX. c. 7.

cuprea vaporem aſcendentem excipere, & diſpicere, an albedine contaminetur; Arſenicum omnino hanc efficit, verum hoc ſignum, nude & crude acceptum, fallit, cum etiam ſal ammoniacum innoxium pariter albedine imbuat ferrum, cuprum vel aliud quid oblatum, ſuis de cætero notis facile diſtinguendum; Si major copia ejusmodi ſuſpectæ materiæ deprehendatur, etiam aliis experimentis chemicis arſenicum detegi poteſt, etenim omnibus metallis ductilitatem demit, eaque fragilia reddit, cum cupro fuſum hoc album reddit, & cum ſapone nigro mixtum & fuſum regulus arſenicalis obtinetur *).

§. 95.

Inter acria venena pertinet quoque cuprum cum omnibus ſuis modificationibus, ut aurichalco, ſimilibusque, quæ Tombac, Similor &c. nuncupantur. Huc quoque lapis armenus trahi debet, utpote qui ad calces cupreas refertur; eſt ex cœruleo, vel viridi variegatus, utpote albidis punctis interſtinctus **). Solubilitas hujus metalli efficit, ut ſaliva, liquor gaſtricus & inteſtinalis facile ali-

*) Baumé Chemie Experimentale & raiſonnée T. II. p. 232.

**) Gmelin mineraliſche Gifte S. 81.



aliquid ex eo ſolvant, & ſic hæc ſolutio in forma fluida ubique diffundatur. Signa in iis, qui exinde perierunt, fere illis ſimilia ſunt, quæ apud arſenicum indicata fuere. Color & reliquæ dotes cognitæ reſiduum cuprum facile detegent, cum corpus eo inquinatum, ſi in ſpiritu ſalis ammoniaci digeratur, hunc cœruleo colore imbuat.

§. 96.

Præparata antimonialia eodem ſpectant. Quamvis enim antimonium crudum innoxie devorari poſſit, tamen pars ejus metallica, ſimulac aut ſulphure involvente orbatur, aut acidis, aliisve menſtruis ſolvitur, horrendam exſerit acrimoniam, ventriculum ſubvertentem & arrodentem, perinde fere, ac arſenicum ipſum. Hujus cenſus ſunt regulus antimonii, ejus vitrum, ſulphur, hepar, butyrum, tartarus emeticus, quæ omnia doſi paullum majori exhibita, omnino necare poſſunt: Solutionum indicia non facile deprehenduntur, niſi forte in reſiduis, facilius regulus, vitrum dignoſcuntur.

§. 97.

Ut venena acria corroſiva agunt quoque ſales acidi concentrati: Scilicet acidum vitriolicum, forma olei vitrioli, vel & ſpiritus vitrioli, Illud

ceu

ceu ignis potentialis deſtruit omnia corpora animalia & vegetabilia, quæcunque tangit, quanquam aqua dilutum ſalubre omnino medicamentum præbet, nec in omnibus ſuis particulis, ut arſenicum deleterias vires exſerit. Sola ergo concentratio violentam iſtam actionem cauſatur. Obtinetur hoc acidum ex vitriolis, alumine, gypſo & ſulphure. Miror, HALLERUM *) ſpiritum ſulphuris & aluminis inertes nimis pronunciaſſe, quam ut necare quem poſſint, cum longe major pars hujus acidi, prout venditur, ex ſulphure præparetur.

§. 98.

Acidum nitri, ſive aqua fortis pariter, niſi diluatur, hauſtum necabit. Mir ſind, ait HALLERUS, **) zwei unglückliche Fælle bekannt, deren einer meinen Grosvatter das Leben koſtete, da ein erzeinfæltiger Apothekergeſelle ſtatt Brunnenwaſſer Scheidewaſſer zur Bereitung der Emulſionen nahm, und die Kranken damit tœdtete. Der ganze Irrthum kam aus der ſchændlichen Verwechselung der Abbreviatur: ▽ font. mit ▽ fort oder ▽F. Reſidua hujus in ventriculo vix reperientur, poſſet tamen odor ſpecificus, vel & ſapor illud prodere.

§. 99.

*) Vorleſungen &c. II. B. I. S. 179.

**) ibid.



§. 99.

Spiritus Geoffroyanus, ſeu mixtio ex acido nitri concentrato cum oleo vitrioli adhuc majori acrimonia prædïtus eſt, quam ſingula acida ſeparata.

§. 100.

Huc quoque referendum eſt acidum ſalis marini, ſimiliter, quamvis debilius agens.

§. 101.

Aqua regis, ſive mixtio ex acido ſalis & nitri, acidum ſpathi, arſenici, phosphoricum, quin & ipſa acida vegetabilia, dummodo ſatis concentrata ſint, pariter arrodendo nocere, quin & reapſe interimere poſſunt.

§. 102.

Effectus ſalium horum acidorum multo magis violenti & nocivi evadunt, cum, etſi forma diluta metallis juncta ſales metallicos conſtituunt; Plurima enim metalla, per ſe innocua, per conjunctionem cum menſtruis horrendam acrimoniam acquirunt, quæ partim a metallica parte, partim a ſalina pendet.

§. 103.

Aurum, aqua regia ſolutum, aqua quoque dilutum conclamatæ eſt acrimoniæ; Præcipitatum ex ea aurum fulminans pariter draſticotaton eſt, & facile ceu venenum, majori quidem doſi propinatum, interimere poteſt.

§. 104.

Argentum, acido nitri ſolutum, adhuc truculentius eſt, ſive ut mera ſolutio ingeratur, ſive in cryſtallos lunares coactum, ſive per harum fuſionem in lapidem ſic dictum infernalem mutatum. Hoc enim cauſticorum actualium caput, omne vivum corrodit, quod tangit. Præcipitata ex ea ſolutione acerrima quoque ſunt. Generalia ſigna etiam huc quadrant, difficulter autem examen procedit, cum raro reſidua deprehendi poſſint.

§. 105.

Cuprum omnibus acidis facile ſolvitur, & bis nuptum deleterias exſerit vires. Præcipue vitriolum cœruleum, & ærugo ſive artificialis, ſtudio præparata, ſive, quod ſæpius occurrit, ex tempore, maxime per ignorantiam & incuriam ex cibis in cupreis vaſis præparatis enata pertimeſcenda ſunt. Ajunt quidem alias, cuprum, cum in ſolu-

tionibus ſuis colore viridi, vel cœruleo ſe prodat, facili opera evitari: Verum novimus, & per evidentia experimenta equidem demonſtravi *), cuprum etiam in achromaticis liquoribus ſeſe occultare, ut in ſpiritu vini, & ejusmodi, qui limpidiſſimæ aquæ ſimilis nihilominus venenum hoc in ſinu ſuo ſuſceptum gerere poteſt.

Detegitur per alcali volatile, terras calcareas & abſorbentes, ut & ſaponem.

§. 106.

Mercurius, tam blandum, dum vivum eſt, metallum, corroſivas acquirit qualitates per menſtrua. Acida mineralia eum ſolvunt, unde varia venena enaſcuntur tam ſicca quam fluida. Omnium vehementiſſimum eſt mercurius ſublimatus corroſivus, ex connubio ejus cum acido ſalis ortus; Convenit in effectibus ſuis proxime cum arſenico, licet & necaſſe viſus ſit absque inflammatione excitata **), unde Sproegelius infert, mercurium ſublimatum inter venena, nervos afficientia numerari debere, quod an ex iſto experimento firmi-

*) Warnung an das Publicum für einem in den meiſten Branteweinen enthaltenen Gift.

**) Sproegel Diſſertatio: Experimenta circa varia venena in vivis animalibus inſtituta. exp. 19.

firmiter ſatis deduci poſſit, non ita in aprico eſt, videtur enim cuniculus ille veneno ſuffocatus fuiſſe, antequam venenum membranas inteſtinorum vel ventriculi afficere potuerit, præterquam quod ventriculus devorata braſſica repletus fuerat*). Qui ex ſolutionibus mercurii præcipitantnr pulveres, albi, rubri, aurantii, flavi certe inter venena acria referenda ſunt: Memini viri, qui cephalalgia correptus, cum pulverem temperantem, cui cinnabaris admiſtus erat, capere vellet, hujus loco præcipitatum rubrum, in eadem arca reconditum, devorabat, brevi autem vomitibus & colicis doloribus vehementibus corripiebatur, tremor & ſudores frigidi urgebant; Cum rem geſtam perciperem, dilutum alcali fixum ei dedi, quod veneni vim feliciter infringebat.

§. 107.

Stannum, Zincum, bismuthum, ſoluta in acidis vel aliis menſtruis, acrium venenorum effectus edunt.

§. 108.

Sales alcalini, ut cineres clavellati, ſal tartari fixum, ſoda, ſpiritus ſalis ammoniaci calca-

 reus,

*) ib. p. 48.

reus, ſi concentrata propinantur, pariter arrodunt, & ſic necare poſſent; quod & aliquando factum, cum quædam loco Cremoris tartari ſalis tartari doſin majorem parum madefactam deglutiret.

§. 109.

Huc ſpectat quoque vis cauſtica calcis vivæ, ſive eam particulis igneis poſitivis, ſive acrimoniæ nativæ terræ calcareæ, aëre fixo, vel phlogiſto involvente orbatæ, ſive utrique tribuas. Vix autem quis alteri calcem vivam, niſi vi, intrudere poterit, quamvis externa ejus applicatio, ut ſi quis in copiam calcis vivæ durante exſtinctione projiceretur, facile mortem inferre poteſt.

§. 110.

Metalla perfecta & imperfecta etiam alcalinis ſalibus ſub certis conditionibus & encheireſibus ſolvi poſſunt, & acquirunt pariter vim acrem corroſivam.

§. 111.

Regnum vegetabile dives eſt plantarum, quæ acrimoniam funeſtam in corpus humanum exſerere valent. Quod autem in genere §. 81. notavimus, huc potiſſimum applicitum volumus; Nominabimus ergo tantummodo plantas, earumque partes,

tes, quibus vis acris, modo vehementior, modo mitior ineſt. Neque vero aſſerimus, acres plantas mox recenſendas eſſe non niſi acres, cum etiam aliis polleant viribus, multæque earum etiam ad venena, nervoſo ſyſtemati inimica referri poſſint; Eas vero, in quibus acrimonia præpollet, & ſenſibus obvia eſt, in hanc claſſem, ſcilicet acrium, redigemus, ſecuturi præcipue hiſtoriam venenorum, à Cel. Gmelino elaboratam *). Addam ſcalam quandam graduum, quoad intenſitatem virium, ita, ut gradus primus vehementiſſimas, ſecundus vehementes, tertius mitiores indicet, quamvis hi gradus tam exacte determinari nequeant.

§. 112.

Huc itaque pertinent:

Cucumis colocynthis
Fructus. Gradus ſecundus.

Fritillaria imperialis
Radix bulboſa. Gr. ſec.

Colchicum autumnale.
Radix bulboſa. Semen Gr. Prim.

Pedicularis paluſtris,
integra planta. Gr. tert.

 Digi-

*) Joh. Frid. Gmelin Allgemeine Geſchichte der Pflanzengifte. Nurnb. 1777. 8.



Digitalis purpurea.
integra planta. Gr. ſec.
Cyclamen Europæum.
Radix. Gr. tert.
Plumbago Europæa.
Integra planta. Gr. ſec.
Cerbera Ahovai
Integra planta, ſemen Gr. prim.
Cerbera Manghas
Semen Gr. ſec.?
Cynanchum erectum
Folia, &c. Gr. ſec.?
Cynanchum viminale.
Integra planta. Gr. ſec.?
Apocynum androſæmifolium.
Integra planta Gr. tert. 2.
Cannabinum, & Venetum,
ut prior ſpecies.
Aſclepias gigantea.
Integra planta. Gr. ſec.
Hydrocotyle vulgaris
Integra planta. Gr. ſec.
Oenanthe fiſtuloſa.
Radix folia. Gr. ſec.
Crocata:
Radix Gr. prim.

Scan-



Scandix infeſta?
Thapſia fœtida.
Radix Gr. ſec.
Aliſma plantago
Folia. Gr. ſec.
Clematis vitalba
Integra planta. Gr. tert.
flammula.
Integra planta. Gr. ſec.
erecta.
Integra planta. Gr. tert.
integrifolia. ut prior.
Anemone palmata
Integra planta. Gr. tert.
Anemone pulſatilla
Folia, flores. Gr. ſec.
nemoroſa?
pratenſis.
Folia, flores. Gr. tert.
narciſſiflora:
Folia?
ranunculoides. Gr. ſec.
Caltha paluſtris
Folia, flores. Grad. tert.
Ranunculus flammula
Folia. Gr. ſec.

Ranun-



Ranunculus Lingua.
Folia, ſemen. Gr. ſec.
Ficaria
Radix. Gr. tert.
Sceleratus.
Integra planta. Gr. ſec.
Bulboſus & Illyricus
Integra planta Gr. ſec.
Alpeſtris. ut prior.
Polyanthemos.
Folia. Gr. tert.
Acris
Folia, flores. Gr. ſec.
Arvenſis.
Folia, Flores. Gr. ſec.
Gramineus
Flores, radix. Gr. tert.
Aſiaticus.
Folia.?
Aquatilis.
Folia, Flores. Gr. tert.
Platanifolius.
Folia. Gr. tert.
Thora
Tota planta. Gr. prim.
Breyninus.
Flores. Gr. ſec.
Sardous?

Eu-

Euphorbia antiquorum
Integra planta. Gr. ſec.
Canarienſis.
Succus. Gr. tert.
Officinalis.
Succus. Gr. tert.
Turucalli.
Succus. Gr. ſec.
Peplus.
Integra planta. Gr. tert.
Lathyris.
Succus ſemen. Gr. tert.
Helioſcopia.
Succus. Gr. tert.
Verrucoſa & Platyphyllos.
Succus. Gr. tert.
Eſula.
Radix, ſuccus. Gr. ſec.
Cypariſſias.
Succus. Gr. tert.
Paluſtris.
Radix, folia. Gr. ſec.
Hiberna.
Integra planta. Gr. ſec.
Characias
Succus. Grad. tert.
Amygdaloides.



Semen. Radix. Grad. tert.
Euphorbia Sylvatica.
Grad. tert.
Exigua acuta
Grad. ſec.
Mauritanica
Succus. Grad. ſec.
Neriifolia.
Succus. Grad. ſec.
Arum dracunculus.
Radix. Grad. tert.
Colocaſia ?
Maculatum
Radix ?
Virginicum.
Radix ?
Arboreſcens.
Integra planta. grad. tert.
Seguinum.
Integra planta. Grad. ſec.
Polygonum hydropiper.
Integra planta ?
Selanthus ?
Iatropha Curcas & multifida.
Semen. Gr. ſec.
Manihot.
Radix recens. Gr. prim.

Rici-

Ricinus communis.

Semen. Gr. ſec.

Croton tiglium.

Semen. Gr. ſec.

Daphne Mezereum

Integra planta Gr. prim.

Laureola ut prior.

Cneorum

Fol. Gr. ſec.

Gnidium.

Baccæ. Gr. prim.

Tricoccum. ut antecedens.

Amyris toxifera

Succus. Gr. ſec.?

Rhus vernix.

Succus. Gr. ſec.

Radicans?

Toxicodendron?

Excœcaria Agallocha.

Succus. Grad. prim.

Cambogia gutta

Succus. Gr. ſec.

Anacardium occidentale.

Teſta Nucis. Gr. tert.


Caryota urens

Semen Gr. ſec.

Arni-



Arnica montana
Flores, Herba. Gr. tert.
Asarum Europæum.
Radix, folia. Gr. sec.
Melia Azedarach.
Folia. Gr. sec.?
Aloë perfoliata.
Succus. Gr. tert.
Agaricus laricis. Gr. tert.
Bryonia alba.
Radix. Gr. sec.
Convolvulus scammonea.
Succus. Gr. sec.
Turpethum.
Radix. Gr. tert.
Soldanella
Herba. Gr. sec.
Mechoacanna.
Radix. Gr. tert.
Delphinium Staphis agria.
Semen gr. tert.
Gratiola officinalis
Herba. Gr. tert.
Helleborus niger
Radix. Gr. tert.
fœtidus:
Radix. Gr. sec.



Ipecacoanha

Radix. Gr. tert.

Lactuca virofa

Radix. Gr. fec.

Menispermum cocculus

Semen. Gr. tert.

Momordica elaterium

Succus infp. Gr. fec.

Mirabilis dichotoma

Radix (Jalappa) Refina. Gr. tert.

Strychnos nux vomica. gr. fec.

faba Ignatii gr. fec.

Sedum acre. Gr. tert.

Veratrum album.

Radix. Gr. prim.

Sabadillum.

Semen. Gr. tert.

Oleander Nerium. Gr. tert.

Ex animalibus maxime Meloe veficatorius huc referri debet, quamvis & alia infecta fimilem acrimoniam exferere valeant.

§. 113.

Inter venena acria alia, etiam mechanice-acria numerari folent: Stricte loquendo hæc non funt vera venena, cum mechanice lædant pari ratione ac enfis, quem cæterum, cum pugionibus, glandibus plum-

plumbeis &c. ex erronea venenorum defintionei inter ea retulit LINDESTOLPE *). Verumtamen, cum acuta corpuſcula ingeſta ſine applicatione violentiæ externæ lædant, & in internis clanculum agant, inter venena memorari ſuo modo poſſunt. Vulnerant certe os, œſophagum, ventriculum, inteſtina, ex his vulnusculis enaſcetur aut inflammatio, ſphacelus, convulſiones, mors, aut ulcuſcula lentam mortem denique cauſantes. Efficaciam horum venenorum mechanicorum negat HALLERUS **): patet tamen jam à priori, acuta ejusmodi corpora, etſi nonnunquam forte fortuna innocua fuerint, teneras dictas partes lædere poſſe, & proſtant certe obſervationes, mortem ipſam, modo citam, modo lentam per ea effectam fuiſſe.

§. 114.

Hujus cenſus ſunt: Gemmæ, præcipue adamas, cujus margines acutiſſimi, ſi quando à ventriculo vel inteſtinis, ſpaſtice contractis ad parietes ipſorum apprimuntur, eos vulnerare poſſunt, quorſum et pertinet lapis lazuli, ſi unquam ut venenum deprehenſus fuit.

Dein acus, tam capitatæ, quam aliæ, alumen plumoſum non contritum, vitri fruſta, aliaque corpo-

*) De venenis p. 117. & 639.

**) l. c. p. 197.

corpora acuta pari modo agunt. Mirum certe, fuiſſe & adhuc eſſe cultrivoros, vitrivoros, qui absque omni fuco pocula vitrea mandunt & deglutiunt, diu ſuperſtites, quod amplitudini & inſenſilitati ventriculi & inteſtinorum adſcribendum erit, qua acuta illa corpora innoxie per iſta devolvuntur: Tandem vero omnes fere morbis inteſtinalibus pereunt *).

Nigritæ ſervi dicuntur quandoque heros ſuos interficere per propinatam conciſam barbam tigridis vel felis, quæ fruſtula, ſi fabula vera eſt, pungendo & vulnerando agent.

Quid de ungue veneno **) ſtatuendum ſit, non ita liquet: Narrat citatus auctor hiſtorias, quæ docere videntur, ungues humanos, non modo in acuta ramenta ſciſſos, ſed & raſos, deglutitos veneni vim exerere: Illam formam quidem pungendo & irritando ventriculum nocere poſſe, patet, at, quomodo ſcobs agat, determinare, non ita facile eſt.

§. 115.

Altera toxicorum claſſis ſyſtema nervoſum peſſumdat, & inimice afficit. Triplex modus, quo ope-

*) Schurig Chylologia.

**) Baur Diſſert. de ungue veneno Altd. 1765.



operantur, concipi poteſt: Aut per nares attracta nervis forte immediate inſinuantur; nexus horum cum cerebro, ſtimulusque huic affrictus, & communicatus, motus ſpaſmo analogos in hoc ciere poteſt, ſicque apoplexia ſpasmodica oritur; Aut agunt præcipue in nervos ventriculi & inteſtinorum, & per conſenſum totum ſyſtema nervoſum perturbant & peſſumdant; Aut in ſanguinem recepta ope circulationis perveniunt ad cerebrum, ibique toxicas ſuas vires, omnino hactenus occultas nec evidenter explicandas, exſerunt.

§. 116.

Symptomata, quæ excitant, ſunt: vertigines, ſopor, deliquia, perturbatio viſus & auditus, deliria, furor, convulſiones, epilepſia, nauſea, vomitus, diarrhœa, apoplexia, mors. Poſt mortem ſanguinis diſſoluti ſigna apparent, cadavera cito putreſcunt, tument, livent, ſanguis reſolutus ſpumoſus, ex auribus, naribus, ore prodit. Quædam etiam ſingulares & fere ſpecificos effectus habent, quos ulterius explicare fruſtra tentabis.

§. 117.

Multa quidem, quin fere omnia, ſub titulo acrium venenorum recenſita etiam in ſyſtema nervoſum

vosum sive mediate, sive immediate agunt, ut & vicissim jam enumeranda acrimonia non carent, cum autem vis nervis inimica in his prævalere videatur, juvat ea classi nervalium venenorum subordinare.

§. 118.

Sunt ea:
Physalis somnifera?
Solanum lycopersicum?
mammosum
Fructus?
insanum?
Atropa mandragora?
belladonna
tota planta. Gr. prim.
Datura stramonium
Semen. Gr. sec.
metel. gr. sec.
Hyoscyamus niger.
Tota planta. Semen. Gr. sec.
albus.
Semen. Gr. tert.
physalodes. Herba, radix. Gr. tert.
scopolia.
Herba. gr. tert.
datura?



Azalæa pontica?
Antirrhinum orontium?
Actæa ſpicata.
Baccæ?
Lolium temulentum.
Semen. Gr. ſec.
Chenopodium hybridum.
Herba. Gr. tert.
Taxus baccata?
Hippomane mancinella
Tota planta. Gr. ſec.
Menispermum cocculus?
Coriaria myrtifolia.
Baccæ. Gr. ſec.
Prunus lauroceraſus.
Folia. aqua deſtillata. Gr. ſec.
Strychnos colubrina?
Nicotianæ ſpecies omnes?
Chærophyllum ſylveſtre.
Herba. Radix. Gr. ſec.
bulboſum?
Aethuſa cynapium.
Herba. Radix. Gr. prim.
Sium latifolium.
Radix. Gr. ſec.
Cicuta viroſa
Radix. Gr. prim.

Co-



Conium maculatum.
Herba, radix, ſemen. Gr. ſec.
Mercurialis perennis?
Agaricus muſcarius. Gr. ſec.
piperatus. Gr. tert.
aliæque plures ſpecies.
Lathyrus cicera. Gr. ſec.
Paris quadrifolia?
Aconitum cammarum.
tota planta. Gr. prim.
napellus Gr. ſec.
lycoctonum Gr. prim.
Papaver ſomniferum.
Succus opium. Gr. ſec.
Chelidonium glaucium. Gr. tert.
Lactuca ſcariola, (et viroſa) Gr. ſec.
Secale cornutum.

§. 119.

Referri huc quoque debent ſpirituoſa omnia, ipſumque vinum: Paradoxon hoc nonnullis forſan erit, cum hæc ad materiam alimentariam proprie pertineant, verum doſis ſola hîc decidit, & altera ex parte clandeſtina vel & violenta ingeſtio, utpote quæ poſteriores circumſtantiæ verum veneficium conſtituunt, quamvis multo ſæpius ex petulantia, quam ex dolo inſidioſo procedant: Ejusmodi ſcenæ



teſtis olim erat ipſe HALLERUS, cum adhuc Tubingæ ſtudiis incumberet, quam & allegat *). „Man findet, ait, dieſen Spiritus in den Kœpffen „derer, die an einem ſolchen Schlagfluſſe geſtor- „ben ſind, und riecht ihn in den Hirnhöhlen: wie „ich ſolches an einem Soldaten ſelbſt erfuhr „ der „ſich in meiner und einiger bekannten Gegenwart „zu Tode im Weingeiſt geſoffen hatte. Es war „bey der Leichenöffnung nichts beſonders, keine „Zerreiſſung, noch ſonſtige Verlezung zu finden, „aber, wie ſchon erwæhnt, den Branntewein konn- „te man bei Unterſuchung der Gehirnkammern „deutlich riechen. —

§. 120.

Pleraque venenorum tam acrium, quam nervis inimicorum, vulneribus indita ſæpe tam repentinam mortem ferunt, ut miraculo ſimilis videatur. Plures gentes tam indicæ, quam americanæ tela ſua iis inficere nôrunt, quibus ictum animal vel homo mortem effugere vix ne vix quidem ſolet. Nec apud nos ignota plane ars eſt, glandes plumbeas neſcio quo veneno imbuendi, quibus vel leviter tactæ feræ concidunt, & enecantur. Cum hæc venena ſanguinem non coagulent, & ex vi eorum

*) Vorleſungen &c. II. B. I. S. 230.

eorum diſſolutoria, ſi quoque tam velociter tota maſſa ſanguinea diſſolvi poſſet, vis deleteria nondum explicari poſſit, probabiliſſimum eſt, etiam hæc in ſyſtema nervoſum inimice agere. Frater celebris TAVERNIER in regno Macaſſar *) exemplum ejus rei valde memorabile vidit: Rex nimirum criminis alicujus reum propria manu, ut mos ibidem eſt, interemturus, duobus chirurgis Europæis permittebat, ut ſauciato omnem opem, quam vellent & poſſent, ferrent; Carnifex regius itaque, quem precati erant, ut telum venenatum, quod per arundinem efflatur, in pollicem pedis dirigeret, magna dexteritate hanc partem ferit; Chirurgi mox integrum pollicem reſcindebant, ne venenum in ſanguinem diffunderetur, nihilominus autem homo intra pauca horæ minuta mortuus erat.

§. 121.

Nec minus hujus cenſus ſunt morſus aliquorum colubrorum, crotali, najæ, aliorumque, nec non ictus ſcorpionum & phalangii arachnoidis, paſtinacæ marinæ & ſimilium, morſus animalium rabidorum, & ſiccatum horum venenum, morſus omnium animalium valdopere irritatorum; ipſius hominis. Venenum colubrorum ſolo morſu

*) Tavernier Reiſen durch Indien &c. III. B. S. 183.

ſu nocere, iique fatum dente minari, videntur, pocula morte carent *). Attamen venenum viperarum ſecundum recentiora experimenta Abbatis Fontana **) etiam deglutitum ſaltem majori copia, ut verum venenum agit. Saliva autem rabidorum & iratorum ſine dubio etiam deglutita ſummopere nociva foret.

Ejusmodi inſidiæ non niſi ex ingenio malitioſiſſimi hominum prodire quidem poſſunt, verumtamen poſſibilitatem earum nemo non videt, ut & infectio armorum per hæc vel ſimilia gentibus barbaris familiaris eſt, adeoque hujusmodi veneficium omnino objectum fori evadere poſſet.

Eadem valent quoque de aliis animantibus nocivis, quibus quis alium læderet ***).

§. 122.

Huc & ignota illa venena pertinent, quibus epiſtolæ, chirothecæ & ejusmodi inſici et vim adeo toxicam induere dicuntur, ut lectio ejusmodi epiſtolæ, indutus chirotecæ ſubitam mortem cauſetur.

§. 123.

*) Lucanus.

**) Traité ſur le venin de la vipere.

***) Püttmann Inſt. Jur. Crim. p. 303.

§. 123.

Nec minus id veneficii genus, quod philtrorum nomine venit, huc trahendum videtur: Hæc enim, licet maximam partem mere ſuperſtitioſa & inertia ſint, tamen & ex venenorum penu depromuntur, quæ in nervos agunt, & imaginationem perturbant: Ita fit nonnunquam, ut per accidens amorem, vel deſiderium alicujus perſonæ cieant, ut ſagaciſſimns Marquis d'Argens jam annotavit *). Nec omnia credere fas eſt, quæ alii, ut Simon **) Henkel ***), &c. de mira eorum virtute ſcribunt.

§. 124.

Tertia venenorum claſſis comprehendit ſuffocantia, ſeu ea, quæ reſpirationem ſufflaminant.

Hæc agunt, aut ſpaſmum invincibilem in omnibus organis reſpirationi dicatis, aut tantum in veſiculis aëriferis excitando, aut immutando aërem, ita, ut ad reſpirationem non amplius idoneus ſit, aut tandem, coagulando ſanguinem in vaſis pulmonum: Quomodocunque hoc vel illud eveniat, ſanguis in vaſis pulmonum & in corde ultra modum accumulabitur, & circulatio ceſſabit.

§. 125.

*) Lettres Juives T. III. p. 129.

**) Amor venenatus.

***) De philtris.



§. 125.

Hujus efficaciæ ſunt: aër mephiticus, phlogiſticatus, gas vini & cereviſiæ, fumus ſulphuris acidus, va-porſpiritus nitri & ſalis, ſpiritus ſalis ammoniaci calcareus, pulvis adſtringens boletorum, alia venena in pulverem tenuiſſimum mutata, & in aëre natantia. Hæc omnia vero non uno modo, nec æquali tempore, nec niſi cum atmosphæram copia nimia inquinant, maxime ſi in conclavibus, aliisque ſpatiis clauſis morantur, tam inimice & violenter agunt.

§. 126.

Quarta venenorum claſſis maxime vim ſuam in putredine cienda exſerit:

Inter hæc ſales alcalinos numerare ſolent, cum ſanguinis maſſam diſſolvant, verum cum non niſi magna copia & diuturne adhibita eum effectum edere poſſint, pleno jure venena vocari nequeunt, niſi quidem concentrati, de quibus ſupra dictum fuit.

§. 127.

An venenum peſtis, dyſenteriæ, aliaque morborum putridorum miasmata huc referri debeant, non evictum eſt.

§. 128.

§. 128.

Alia, nervalibus venenis adſcripta, ſuo modo etiam putredinem promovent, & quodammodo huc pertinent.

§. 129.

Quinta claſſis toxicorum complectitur lenta. Necant hæc jam absque valde moleſtis ſymptomatibus, jam præmiſſa longa ſerie malorum, doloribus, tabe, febri hectica, tot teſtibus læſorum viſcerum.

§. 130.

Venena pleraque, præcipue acria, minuta doſi propinata, vel ex parte enervata, ſive natura hominis in tantum ſuperata, ſive medicamentis aliquantum victa ejusmodi triſtes eventus habere ſolent. Ajunt, hoc modo Clementem periiſſe *).

§. 131.

Alia agunt adſtringendo, & humores coagulando, quo fit, ut vaſa minora impervia reddantur, viſcera obſtruantur, & ſic multiplices noxæ & morbi creentur, aſthmata, hydropes & ejusmodi plura. Efficiunt hoc vitriolum, alumen, crocus mar-

*) Vie du Pape Clement. XIV.



martis, aliæque terræ martiales, incongruè, & nimia dosi propinata. Inprimis autem huc trahi debet plumbum, ejusque mineræ, præparata & producta omnia, adeoque galena, plumbago, aliæque mineræ plumbi diversicolores, minium, lithargyrium, cerussa, vitrum plumbi, saccharum saturni, omnesque ejus reliquæ solutiones in acidis, pinguibus, aliisve menstruis. Præcipue vinum, sæpe in sinu suo plumbum reconditum habet, dum fraudulenti caupones, aliive nimium ejus acidum periculoso hocce metallo, vel potius ejus præparatis, quorum autem noxias, & toxicas qualitates non omnes nôrunt, infringere student.

Oleum olivarum venale, ut & butyrum ex incuria maxime plumbo inficiuntur: Attamen aliquando butyrum in Hollandia, cum carum & rarum esset, cerussa multo viliori dolose permixtum deprehensum fuit. Liquor probatorius, quo plumbi præsentia tam in oleis & butyro, quam in vinis & acetis detegi solet, est hepar sulphuris calcareum, quod aliâs ita præparare, & liquorem probatorium Würtembergicum appellare consueverunt: Auripigmenti uncia in pulverem redacta, cum duabus unciis calcis vivæ, pariter pulverisatæ miscetur, & cum libra aquæ coquitur, liquor colatur, & in lagena vitrea bene obturata, vel potius in pluribus

bus minoribus aſſervatur. Ut appareat, num bene præparatus ſit liquor, aliquot guttæ aceto plumbi vel lithargyrii inſtillantur, ſi hoc inde turbatur & nigreſcit, vel ſaltem nubes atras concipit, liquor virtutem habet deſideratam, quæ autem ſucceſſu temporis perit, niſi ab aëris acceſſu ſollicite defenſus fuerit: Juvat itaque, ſingulis vicibus ante ipſam explorationem alicujus liquoris, eum antea modo dicto tentare, an adhuc probus ſit? Itaque in poculo vitreo puro translucido vinum explorandum cum liquoris probatorii aliqua quantitate miſcetur; ſi metallum vino ineſt, vinum turbatur, rubeſcit, & tandem pro copia contentarum particularum metallicarum nigreſcit: Si hoc fit, metallum ſolutum eſſe, enunciandum, ſin minus, metalli expers vinum eſt. Etenim non ſtatim ad plumbi præſentiam concludi poteſt, niſi ſimul dulcedo ſingularis & ſpecifica, quam doctæ linguæ nôrunt, vel & præcipitatum album, per alcali aliquod enatum, vel aliæ docimaſiæ plumbum demonſtrantes, id præciſe innuant.

Cum oleo vel butyro in mortario tritus liquor probatorius nigrum illis colorem induit, ſi plumbo adulterata ſunt.

Calx bismuthi & ſtanni pariter huc pertinere videntur.

132.



§. 132.

Alia venena lenta agunt tantum ut ventriculum mole ſua gravantia, &, cum expelli nequeant, digeſtionem turbant, tollunt, ſtimulo ſuo perpetuo affluxum humorum, vomitus, febres cient: Ejusmodi corpora *venena mechanica non acria* appelles: Talia ſunt: plumæ, pili, pix, (canibus certe infeſta) ſpongia cynosbati, aliaque non aſſimilabilia, mole ſua autem ſibi ipſis exitum præpedientia, & plerumque muco obvoluto volumen ſuum augentia; Aliâs & gypſum huc retulere, narrantes, Imperatorem Emanuelem græca fide gypſum farinæ immiſcuiſſe, quam militibus cruciatis germanis aliisque vendendam dederat, eoque plures interemtos eſſe, verum calcem potius fuiſſe, probabile eſt. Vis gypſi nociva in eo poſita eſſe perhibetur, quod aquæ miſta, dein in maſſam lapideam indiſſolubilem abeat, adeoque ventriculum gravet immedicabili modo: Verum, id fit modo, cum gypſi uſti magna copia pauca aquæ quantitate imbuitur, et aëri poſtea exponitur, qui caſus nunquam hic accidere poteſt, aliis cibis immiſtum gypſum, aqua ſatis dilutum, non ita concreſcet. Dux gregis ipſe Boerhaavius, cujus effatum dein imitatores cæca fide repetiere, in acidis antidotum poſuit, cum potius, ſi unquam neceſſarium foret, in alcalinis quærendum ſit.

§. 133.



§. 133.

Denique venena, quæ ſpecificum morbum producere valent, humoribus hominis miſta, locum hic eatenus inveniunt, quatenus etiam per inſidias, modo extraordinario, animo nocendi affricari poſſunt.

Sic præter hygrophobiam, rabidorum animalium morſum ſequentem, oriuntur hoc modo variola, rubeola, ſyphilis.

§. 134.

Præter hæc omnia ſuperſunt læſiones, quæ nec mechanicæ vocari, nec inter veneficia referri poſſunt. Mixtas vel mere phyſicas eas appellaveris.

§. 135.

Prima earum ſpecies eſt fames, cui quis violenter exponitur: Fames enim tandem necat, poſtquam horrendas ſcenas malorum ineffabilium, & ſub finem dolores atrociſſimos ventriculi, vomitus cruentos, & furorem, in proprias carnes ſævire cogentem produxit. Fame enectus corpus tabidum, ventriculum contractum & inflammatum, vaſa ejus turgida & forte rupta, cibis vacuum, inteſtina vacua, & fortaſſe veſtigia furoris, adeſas manus, brachia, & ſimilia, inſpicienti & ſecanti exhibebit.

§. 136.



§. 136.

Plenaria potus denegatio pariter, & citius quam privatio ciborum enecabit. Violenta hæc mors autem ſigna ſui non adeo evidentia præ ſe fert; Tamen inflammatio faucium, ventriculi, forte inteſtinorum, ſiccitas ſumma veſtigia dabunt ad ulteriorem inquiſitionem.

§. 137.

Corpora frigidiſſima, aër, aqua, arena, cœnum, metalla, aliave, dummodo magnum gradum frigoris habeant, homini, præſertim tenero, vel jam antea morboſo, vel & ebrio applicita, maxime ſi id diutius fit, humores a ſtricta ſuperficie repellunt, hinc vaſa interiora vehementer obruuntur, præcipue in encephalo & pulmonibus, unde horum functiones impediuntur, ſtaſisque tandem univerſalis, & mors ſequitur. Magna pars rationum, unde mors ſubmerſorum explicari debet, actione frigoris nititur; Ipſe vidi ſenem, qui in rivum frigidum ceciderat, & exinde retractus, altero demum die moriebatur. In his caſibus vaſa cerebri & pulmonum, ut & cor dextrum turgida, expanſa, & forte disrupta deprehendentur.

§. 138.



§. 138.

Intenſus caloris gradus, cui quis violento modo exponeretur, pariter mortem inferre poteſt: adeoque actio ardentium ſolis radiorum, hypocauſti nimis calefacti, calidi furni, ſive quis in balneo calido diu nimis detineretur, ſi & quatenus id ab alio pendet, & violentæ manus patienti injiciuntur, ad homicidium omnino referri debet. Hoc genus mortis compoſitum erit ex apoplexia, exhauſtione virium, ſuffocatione & forte morte ſiticuloſa.

Signa itaque erunt ſigna apoplexiæ & ſuffocationis, & cadaver brevi in putredinem abibit.

§. 139.

Ignis actualis, prout omnia vicina nimis corpora, & ea, quæ immediate tangit, deſtruit, ita & homini vita per eum adimi poteſt: Agunt fumus, aër ſummopere rarefactus, dolores, coagulatio humorum, unde genus mortis orietur, compoſitum ex ſuffocatione & virium exhauſtione. Veſtigia, quæ in corpore non plane deſtructo reperiuntur, ſunt phlyctænæ, cutis corrugata, ambuſta, nigra, crines ambuſti, fœtor empyrevmaticus; aliâs quo-



que integra corpora ita comburi possunt, ut corpus delicti non amplius existat.

§. 140.

Ferventia corpora, aqua, oleum, fusa metalla & ejusmodi, quorsum & candens cinis, arena, offæ nimis calidæ omnis generis referri possunt, quatenus hæc omnia non superficiei hominis applicantur, utpote quod ad ignis actionem §. 139. pertineret, sed ingeruntur, aliud violentum mortis genus efficiunt. Partes, quas ista corpora tetigerunt, reperientur inflammatæ, perforatæ, corrugatæ, ambustæ, nonnunquam corpus lædens ipsum, præsertim si metallum fusum fuerit, deprehendetur; Ita Marco Crasso Parthi aurum fusum ingessisse dicuntur.

§. 141.

Ictus electricus nimis vehemens ut reliqua animalia, ita & hominem necare potest, præsertim si per caput dirigitur: Nondum satis constat, quænam mutationes in corpore exinde oriantnr: Videntur autem vasa cerebri & pulmonum inde rumpi. Novum hoc genus homicidii omnino opus tam petulantiæ, quam doli directi esse potest.

§. 142.



§. 142.

Mortes, vehementiora animi pathemata subsequentes, raro processuum criminalium objecta constituunt: Cum autem illis excitatis mors nonnunquam repentina contingat, is, qui affectum istum funestum provocavit, sensu philosophico homicida erit: Ipse vidi aliquando senem, qui cum alio rixatus, tandem ita exarserat, ut, cum ex sella, cui insederat, surgere vellet, alterum feriendi caussa, concideret, & subito exspiraret. Docet historia medica, nullum fere esse affectum violentiorem, qui non aliquando occiderit: Inprimis autem ira, indignatio, terror, mœror tristem eum eventum habere solent, ut apoplexiæ, rupturæ cordis, tabes, febres hecticæ mortem arcessant.

§. 143.

Si quis ejusmodi homicidii accusaretur, id aliquantum excusaret, quod pars caussæ ipsi demortuo imputanda veniat, utpote qui minus philosophice agens tam enormi affectu sese abripi passus est.

§. 144.

Inter mista mortis genera referendum quoque id, cum ex relatione Tissoti aliquando sex milites Hispani scortum per noctem integram adeo violen-



ter & continué ſubagitarunt, ut altero die, oborta per uterum hæmorrhagia, obiret *).

§. 145.

Denique mors violenta quoque ex obſtructione mechanica viarum, per quas urina & excrementa excerni debent, evenire poteſt: Inſpectio veſtigia illatæ violentiæ in ipſis illis partibus ſine dubio detectura eſſet, dein & inteſtina ſcybalis referta, inflammata, veſica urina turgens, forſan rupta deprehendentur.

§. 146.

An præter potentias has multifarias dentur adhuc aliæ, quæ naturæ limitibus non continentur, ideo ſupervacaneum disquiſitu eſſe, opinamur, quod nemo hodie crediderit, dæmones hominum miniſtros exiſtere, hisque potentias ſupranaturales largiri aut poſſe, aut ſolere. Quot & quantae caeterum hujusmodi accuſationes olim motae fuerint, docent ſcripta Bodini **), Wieri ***). Fromman-

*) Zimmermann von der Erfahrung in der Arzney-Kunſt. II. Th. S. 399.

**) Dæmonomania.

***) De præſtigiis Dæmonum.

MANNI *) DELRIO **), SPRENGERI ***) BEKERI ****) TORREBLANCA *****) de HAEN †) CICOGNA ††) aliorumque. Miſeri accuſati plerumque damnabantur calamitoſis iſtis temporibus, ubi innocentiſſimus quisque illis criminationibus obnoxius, nec hoſpes ab hoſpite tutus erat: An vero nullus eorum, qui vel capite plectebantur, vel rogo imponebantur, vere reus fuit? Ea quidem, cujus accuſabatur, culpa, ſcilicet magiae & conſortii cum diabolo certe carebant, verum iſtis temporibus videtur veneficii ſecreti genus viguiſſe, cujus, vel quorum abominanda arcana aliqui ſic dictorum magorum ſagarumque edocti fuerant. Et hos quidem, gladio rogove indignos fuiſſe, nemo facile aſſeret.

*) De Fascinatione.

**) Diſquiſitionum Magicarum. L. VI.

***) Malleus maleficarum.

****) Bezauberte Welt.

*****) De Magia.

†) De Magia.

††) Theatrum magiæ omnifariæ.



§. 147.

Postremo loco mentio facienda est compositorum mortis generum, cum hominem plures una potentiarum nocentium aggrediuntur, & inimice in functiones ejus vitales operantur, quae omnino pluribus hostibus simul eo minus resistere poterunt. Haec composita genera mortis haud infrequentia sunt, & magnas saepe difficultates movent ratione imputationis, quando quis a pluribus hominibus simul oppressus & quovis modo trucidatus fuit. Fit enim, ut quis v. c. tribus vulneribus, quorum singula mortem non attulissent, succumbat, cum eorum *concursum* superare nequeat.

CAP.

CAP. V.

De damnis permanentibus.

§. 1.

Quamvis illatio damnorum permanentium processuum criminalium objectum non est, tamen cum læsionibus, hucusque pertractatis adeo arcto vinculo nexa sunt, & ex illetalibus tam sæpe profluunt, ut de iis, appendicis loco hic agere non ineptum esse, putem.

§. 2.

In genere etiam apud damna permanentia ratione poenæ dictandæ, & satisfactionis privatæ præstandæ dispiciendum, primum, an adhuc forte tolli possit, dein, an damnum quæstionis necessarium consequens læsionis illatæ fuerit, nec ne? Priori casu imputabitur lædenti, posteriori autem, saltem ex parte ei, qui damnum, cum averti potuisset, tamen non avertit. Itaque jam Medicus & Chirurgus, jam æger ipse, jam alii culpam, graviorem, leviorem ferent, eædemque regulæ suo modo etiam hic applicandæ erunt, quæ ad determinandam letalitatem allegavimus; adeoque etiam damna

N 4 per-



permanentia erunt aut neceſſario-talia, & quidem aut univerſaliter, aut individualiter neceſſaria, aut per accidens-talia.

§. 3.

Damni permanentis idea eſt, ut homo ex læſione quacunque vitam quidem redemerit, ita autem, ut in integram ſanitatem non reſtitutus fuerit, adeoque ſtatus aliquis morboſus reſtiterit, qui per omnem reliquam vitam utplurimum durat.

§. 4.

Ad damna permanentia pertinent:

Valetudo infirma in genere.

Ejusmodi valetudinarius perpetuam fere ſui curam habere, exactam diætam ſervare, plerisque vitæ gaudiis carere coactus eſt, niſi quidem periculum majus incurrere, ſemperque imminentes morbos mortemque experiri velit.

Prodit ea ex: Viſceribus læſis, vixdum & ægre conſolidatis, ut res ſe habere ſolet poſt vulnera pulmonum, aliorumque viſcerum, ut & poſt venena ingeſta, aliosque morbos graviores, per læſiones quascunque inductos.

Her-

Herniis, ſæpe læſionum illatarum ſequelis.

Gibboſitate, quæ pariter ex violentiis procedere poteſt.

§. 5.

Alia conſiſtunt in læſis organis ſenſoriis, quorſum:

Expunctus aliterve deſtructus oculus alter, vel uterque.

Baryœcœa, ſurditas.

Lingua exſciſſa, evulſa, qua ſimul loquela perit.

§. 6.

Porro huc ſpectant: Læſæ facultates animæ, quæ capitis læſiones & veneficia inſequuntur, ut:

Amentia,

Mania,

Memoria vacillans.

§. 7.

Iterum aliæ vim motoriam attinent, ut hoc illudve membrum, non amplius functioni ſuæ par ſit, id quod in vita communi maximi momenti eſſe ſolet, cum manus, digitus, brachium, pes id eſſe ſoleat, quo ſibi ſuisque ſuſtentationem parent.

Ejus-



Ejusmodi membrum aut plane resectum & destructum est, sive per læsionem ipsam, sive per operationem chirurgicam, nam

truncantur & artus,

Quo reliquis liceat securum vivere membris;

Aut adhæret quidem adhuc corpori, verum inutile est, aut in totum, aut in tantum, propter destructa ossa, musculos, tendines, nervos, vel & propter coalescentiam, aliaque motus impedimenta, quæ inspiciens facile dignoscet.

Huc itaque pertinet & paraplegia, læsam medullam spinalem excipiens, claudicatio, caput obstipum, ex destructione unius vel aliquorum musculorum colli.

Nec non huc referri potest impotentia generandi in utroque sexu, cum pars aliqua ad istud negotium requisitum mutila, vel paralytica, aliove modo functioni suæ præstandæ impar facta fuit.

§. 8.

Nec minus huc spectant dolores, sive constantes, sive periodicé, sub mutationem tempestatis recurrentes, qui ceu calendaria perpetua, nimium sæpe fida, hominem vexant.



§. 9.

Denique & deformitates eminentes inter damna permanentia numerari possunt, quorsum:

Cicatrices majores, turpes, præcipue faciem infestantes, maxime si forte infamiæ quandam speciem præ se ferant, quales nautæ Batavi formare norunt.
Fistulæ urinæ,
salivales,
lacrymales,
ani,
Ulcerosæ aliæ, vel & alia ulcera non consolidanda.
Anus artificialis, qualis ex vulnere abdominali oriri potest, quale exemplum memorabile habet Albinus *) militis, qui ex praelio apud Ramillies commisso ejusmodi vulnus reportabat, simileque exemplum allegat Peyerus de intestino longo ex abdomine propendente **)
Jactura dentis, dentiumve.
nasi,
auriculae, unius vel utriusque, quacum infa-

*) Annot. acad. L. II. c. 8.

**) Parerga anatomica. p. 44.



infamia quaedam juncta esse solet.
capillorum.
Deformationes aliae, harum aliarumve partium.

§. 10.

Laesus in his casibus satisfactionem privatam obtinere solet, quae utplurimum arbitrio judicis relinquitur, qui eam pro damni ipsius qualitate, ejusque consequentiis, tam civilibus, quam œconomicis, aliisque, ut & pro statu politico laesi, aestimat.



SEC-

SECTIO II.

DE

INFANTICIDIO.



CAP. I.

DE INFANTICIDIO IN GENERE.



§. 1.

Cum de occiſione infantis ſermo eſt, ſubintelligi poſſet nex omnis infantis, inde à nativitate uſque in annum ſeptimum, verum, cum hoc delictum fere non niſi in neonatos committi ſoleat, factum eſt, ut vox infanticidii κατ' ἐξοχην denotet occiſionem infantis neonati.

§. 2.

Infans neonatus omnibus & ſingulis illis modis necari poteſt, quibus major, vel adultus: Superfluum itaque videri poſſet, de infanticidio ſpeciatim agere; At, cum neonati aliis adhuc quibusdam modis interfici queant, qui apud adultos applicari nequeunt, neceſſe omnino eſt, ut infanticidium ſpeciatim pertractemus.

§. 3.

Quotiescunque partus exanimis deprehenditur, de cujus mortis genere, tempore, aliisque cir-



circumſtantiis non certò conſtat, praeſertim cum in aquas projectus, vel ſepultus, vel alibi occultatus fuerit, oritur ſuſpicio de commiſſo infanticidio, ſaltem jam magiſtratus eſt, inquiſitionem inſtituere, ut veritas facti vel non facti eruatur.

§. 4.

Idem ſtatuendum, cum fœmina caelebs gravida fuit, vel ejus rei ſuſpecta fuit, illaque jam iterum in publico non gravida comparet, tacens vel negans, an, ubi, quando pepererit, ubi infans natus impraeſentiarum ſit? His in caſibus iterum in rem inquirendum erit.

§. 5.

Praegreſſa itaque ſuſpicione graviditatis & maligne depoſiti partus, iſta, quam ſuſpicio tangit, inquirenda eſt, vel, cum mater infantis mortui reperti plane incognita eſt, omnes ſuſpectae fœminae explorandae ſunt, an forte ſigna praegreſſi puerperii apud ipſas deprehendantur, quo caſu talis praeſumitur mater eſſe, donec contrarium deducere poteſt, quod non niſi evidenti & certa demonſtratione, aut non praegreſſae graviditatis, aut liberationis à mola, aut ſanguinis collecti ſolius evacuati fieri poteſt.

§. 6.

§. 6.

Dein, durante adhuc rumore & ſuſpicione graviditatis alicujus illegitimæ, magiſtratûs intereſt, ſcire, an res ita ſe habeat, nec ne? Quæ enim graviditatis ſemel convicta, vel quæ eam ſemel confeſſa eſt, certiſſime infantem neonatum non interimet, cum nullo modo ſperare poſſit, factum ignotum vel occultum manſurum eſſe. Huic ipſi fundamento aliâs *) ſuperſtruxi ſolutionem famoſi problematis, quomodo infanticidium omni meliori modo averti & præcaveri queat? Ut medium, omnes graviditates detegendi, quod nemini in præjudicium verti poſſet, propoſui ibi inſtitutum univerſale balneorum ſocialium quovis menſe, à quavis non maritata 14-48 annorum repetendorum: Et adhuc perſuaſum mihi habeo, hoc, ſi unquam datur, verum & unicum eſſe remedium prophylacticum infanticidii. Sed, ut é diverticulo in viam redeamus, indicandum nunc erit, quomodo uteri celatio detegi poſſit?

§. 7.

Signa graviditatis ex ipſius hiſtoria abſtrahuntur, unde hæc præmittenda erit:

Simul-

*) Noch eine Meynung über die Frage, welches ſind die beſte ausführbare Mittel, dem Kindermord Einhalt zu thun? Tübingen 1783. bey Heerbrand.



Simulac per concubitum fœcundum rudimenta futuri hominis poſita ſunt, magnæ in futura matre oriuntur mutationes, quæ ad perfectionem iſtorum primordiorum in hominem, omnibus numeris abſolutum tendunt. Hæ mutationes partim & præcipue in utero fiunt, partim per univerſum corpus ſeſe extendunt.

§. 8.

Inter mutationes, uterum attinentes prima eſt ea, ut ſanguis menſtruus erumpere ceſſet: Primis poſt conceptionem diebus uſque ad decimum ſeptimum vel octavum in cavo uteri nîl diſtincti detegitur, ſed poſt id tempus demum apparent filamenta aliqua, e quibus ſenſim ſenſimque mollis ovi ſpecies enaſcitur, in quo informis embryo continetur.

Dum hoc ovum puſillum eſt, uterus per id non extenditur, neque ipſe, neque ejus orificium ſenſibilem mutationem patitur, nec in ſubſtantia, nec in ſitu.

§. 9.

Creſcens autem ſucceſſive embryo cum velamentis continentibus, fluidisque contentis majus acquirit volumen, & eadem ratione uterum expandit: Hic ob contenta nova corpora gravior evadit, & in vaginam deſcendit, ut ſecundo & tertio poſt

con-

conceptionem menſe vix duos pollices ab orificio vaginæ diſtet, ejusque orificium hac in ſtatione tangi queat.

§. 10.

Continuum incrementum adeo uterum extendit, ut pelvis ſufficiens illi ſpatium deneget; Pelvis nempe oſſea limites fixos firmosque, ab expanſione uteri non ſuperabiles habet, unde hic, major factus, non poteſt non ex pelvi aſcendere, cervix, ut pars uteri neceſſario una evehitur, & ab orificio vaginæ recedit, ut ſub finem graviditatis etiam longioribus digitis contingi vix queat.

§. 11.

Subſtantia cervicis uteri, utpote quæ ſola in viva digitis ſe offert, demum incipiente menſe quarto graviditatis notabiliter mutatur: Dura antea, jam molleſcit, & craſſeſcit; Rima transverſa, quam orificium uteri formabat, ſenſim in circulum mutatur: Quo longius graviditas progreditur, eo magis ſenſilis fit hæc mutatio, ut ſub tempus partus labia cervicis uteri ad mollitiem labiorum oris accedant.

§. 12.

Vagina ipſa ſuas quoque mutationes patitur, cum ſinus mucoſi & glandulæ plus muci ſecernunt,

 quam

quam antea, unde vagina lubricatur, & ad majoris extensionis patientiam præparatur; nonnunquam hæc ubertas muci in levcorrhœæ specimen degenerat *)

§. 13.

Uteri moles interea pariter augetur, & pro hujus ratione venter ipse crescit: Primis mensibus abdomen non tumet, sed potius, cum secundo & tertio mense uterus descendens post ossa pubis condatur, planum fit; Postea autem, cum uterus reascendit, augmentum abdominis in sensus incurrit: Sexto mense, cum uterus regionem umbilicum inter & ossa pubis attingit, abdomen antrorsum acuminatum quasi apparet: Septimo mense usque ad umbilicum uterus extenditur, octavo mediam inter umbilicum & scrobiculum sic dictum cordis regionem occupat, nono adhuc altius ascendit, nisi nimia gravitate antrorsum vel ad latera vergat; Eodem modo se habet volumen abdominis: Brevi ante partum abdomen iterum descendit, & dependet.

§. 14.

*) Roederer Elem. A. O.

§. 14.

Expanſio abdominalis etiam in regione lumborum ſentitur, qui in amplitudinem & latitudinem excreſcunt.

§. 15.

Mutationes extra uterum eo redeunt:

Ipſo conceptionis momento horripilatio aliqua corpus corripere dicitur; Brevi poſt levis dolor regionem umbilicalem occupat, abdomen tenditur, aliæque ſenſus alterationes occurrunt: Poſtridie languent, triſtantur, ſenſilitas extraordinaria ventrem vexat, ut pondus ſtragulorum & veſtimentorum vix ferat, aliaque auctam ſenſilitatem & irritabilitatem arguentia ſymptomata ingruunt.

Nauſea vomitusque matutini quasdam per plures hebdomades cruciant, pica eas afficit, quædam & ſingularia animi pathemata experiuntur, oculorum turgor & ſplendor perit, orbis cœruleus eos ambit, palpebræ molleſcunt, & pendent. Pleræque autem congeſtiones humorum ad caput experiuntur, unde phlyctænæ, ephelides, vertigo, cephalalgia, odontalgia, ſalivatio, rubor faciei &c.

Procedente graviditate varices, & œdemata pedes infeſtant, ex impedito refluxu ſanguinis & lymphæ in abdomen.



Mammæ quarto menſe creſcunt & paullum tument, dolentque, venæ earum turgent, papillæ craſſeſcunt, & una cum area in obſcuriorem colorem vergunt; Hoc temporis ſpatio ſecretio lactis in mammis incipit, papillæque preſſæ aquulam cœruleam fundunt, cui ſtriæ lacteæ intermixtæ conſpiciuntur. Circa mediam graviditatem, inde à decima ſeptima, uſque ad vîceſimam ſecundam hebdomadem, & dein uſque ad partum prægnans motum fœtûs, membra ſponte agitantis percipit, qui ab initio exiguus, ſenſim fortior fit, ut motus iſti tandem exterius percipi, quin cerni poſſint.

§. 16.

Hic ſtatus graviditatis novem menſes ſolares, vel potius triginta novem hebdomades, durare ſolet, quibus peractis partus ſequitur.

§. 17.

Ex hac ſuccincta graviditatis hiſtoria ſigna ejus facile abſtrahuntur, verum cum ſingula ſigna, diſtributive ſumta ſuas patiantur exceptiones, & ceu dubia & ambigua illius præſentiam haud ſtricte demonſtrent, omnia & ſingula perpendenda ſunt, quidque in graviditate inveſtiganda demonſtrent, quid non, indicandum.

§. 18.

§. 18.

Primum in ſenſus incurrens ſignum eſt auctum abdominis volumen: Prioribus menſibus hoc deerit; Dein oculis ſubducitur per cataphractas ſtrictius alligatas, fascias, per veſtimenta illa ampla varii generis, quibus fœminæ peripheriam ſuam, quaſi ad ipſas omne id pertineret, augere ſolent, ut neſcias, an volumen hoc, ſæpe prodigioſum quisquiliis iſtis, an graviditati tribuere debeas.

Aliæ compoſito corporis ſitu, quo abdomen retrahunt, ſtatum ſuum celare ſtudent; Has autem quæſitus & extraordinarius inceſſus, & poſteriora magis prominentia produnt; Apud iſtas autem contrectatio vel inſpectio poſt veſtes depoſitas volumen auctum detegit.

§. 19.

Neque vero omnis abdominis expanſio ſtatim ipſam graviditatem evincit: Adeps, physconia, ſeu abdomen magnum ex viſceribus mole auctis, inteſtina, aëre, vermibus, ſaburra expanſa nonnunquam graviditatem mentiuntur: Tympania cæterum facile pathognomicis ſuis ſignis ſe prodit, cum tympaniticorum abdomen pulſum reſonet, & valde durum & elaſticum ſit, id quod in prægnantibus aliter ſe habet, ſæpe & apud iſtos disparatæ eminentiæ duræ & ela-

ſticæ, ſtabili loco non fixæ ſphærarum inſtar tangi poſſunt.

Etiam hydrops aſcites, aliique, abdominis volumen augent: Plerumque hic dignoſcitur ex fluctuatione aquarum, multoties tamen fallaci, cum aliqua fluctuatio in non hydropicis ſæpe ſentiatur, & contra in hydrope ſaccato, hydatidoſo, ovariorumque, fluctuatio diſtincta non percipiatur, & hydrops cum graviditate complicari poſſit; Poſito itaque volumine abdominis aucto, ſi ſcire velis, an id ab expanſione uteri pendeat, nîl ſupereſt, niſi exploratio abdominis, quæ ſic inſtituitur: Exploranda, poſtquam alvum & urinam reddidit, ſupina decumbit, genubus paullum inflexis, & capite penitus reclinato, ne tenſio aliqua ſubſit, & ut totum abdomen flaccidum fiat. Dein explicita manus medio hypogaſtrio imponitur, ut pollex umbilicum, digitus minimus pubem tangat; Tunc jacens aliquoties fortiter exſpirare jubetur, quo momento explorans manum arctius apprimit, & attendit, an ſupra pubem corpus aliquod magnum, durum, ſphæricum ad manum allidat, quo caſu certus eſſe poteſt, auctum volumen abdominis provenire ab aucto volumine uteri. Verum, nondum exinde ad ipſam graviditatem concludere licet; Nondum enim evictum eſt, quid uterum expandat, an fœtus,

tus, an mola, an ſarcoma, cruor coacervatus, aqua an aër? an forte uterus ſcirrhoſus & mole auctus ſit, an ſteatomata inſint, & quæ ſunt ejusmodi plura. Adeoque hoc ſignum per ſe conſideratum ambiguum eſt.

§. 20.

Secundum oculos feriens ſignum conſtituit, mutatio mammarum: Hoc autem in utramque partem fallit, cum quædam, etſi prægnantes exiguas mammas habeant, præſertim cum menſtruum ſanguinem fundere pergunt, aliæ vero, non gravidæ magnas, tumidas mammas præ ſe ferant, ſive natura iis inſtructæ, ſive ex cauſſis praeternaturalibus. Attamen ſtriae illae lacteae §. 15. in iis, quae nondum pepererunt, plus ſibi volunt, licet etiam fallere poſſint.

§. 21.

Tertium externum ſignum eſt ſuppreſſio fluxus menſtrui: Hic autem in junioribus plethoricis, orgaſticis per plures graviditatis menſes continuat, altera ex parte autem ex multiplici diaetae errore, variisque ex cauſſis morboſis ſupprimi ſolet; quin morboſa talis ſuppreſſio multa graviditatis ſymptomata ciere poteſt, ut nauſeam, vomitus, expanſionem abdominis, augmentum mammarum, vertiginem;



nem, cephalalgiam, pallorem & ejusmodi. Hinc fit, ut illegitime impraegnatae, cum terrificus hic nuncius oſtia pulſat, ſe ipſas conſolentur, & modo refrigerium pedum, modo orgaſmum, ex ſaltatione & ſimilibus, modo indigeſtionem, modo pathemata ut cauſſas ſibi ipſis allegent, donec tandem fructus peccati evidentius compareant.

Symptomata iſta dubia autem gravidas ſenſim deſerunt, in morboſa autem ſuppreſſione potius magis ingraveſcunt.

Lactantes, quæ menſtruare non ſolent, denuo imprægnari poſſunt, unde & eapropter ſignum iſtud fallit.

Sunt & doloſa artificia, quibus ipſa ſuppreſſio menſtruorum celatur, dum aſtutæ mulierculæ alieno ſanguine lintea commaculant, ut ſpeciem contaminationis menſtruæ habeant.

§. 22.

Motus fœtus in utero, quatenus ab alio tangi, vel extrinſecus cerni poſſunt, & exploranti itaque occurrunt, omnino ex præſtantioribus ſignis graviditatis ſunt. Verum hi celari ſolent, & nonnunquam flatus errorem hac in re induxere, ipſæque prægnantes ſeſe hisce aliisque fallunt.

§. 23.

§. 23.

Mutationes uterum ipſum concernentes ex parte tantum inveſtigari poſſunt, cum non niſi cervix & orificium uteri explorari queant. Hæc exploratio uteri ita inſtituitur: Suſpecta coram ſtet, ſedens explorator unum duosve digitos in vaginam immittit, cervicemque & orificium quærit, ac ita ſtatum horum experitur.

§. 24.

Ratione ſtationis ergo reperiet; Cervicem ſecundo & tertio menſe deſcendiſſe, ex primoribus duabus phalangibus attingi poſſe, poſtea autem iterum aſcendere, digitisque ſe magis ſubtrahere. Hoc ſi ita deprehenditur, vix ullum dubium de graviditate ſupererit.

Liquet autem, has mutationes una prima vice comperiri non poſſe, unde exploratio uteri diverſis temporibus pluries inſtituenda eſt, maxime & ideo, quod ſtatio uteri naturalis antea cognita eſſe debeat, cum judicium circa obſervationem ab ea ferendum ſit.

Notandum quoque, ſummo mane altius hærere uterum, quam veſperi *).

Dein

*) Haller Elem. Phyſ. T. VIII. p. 406.



Dein uterus quoque aliis ex rationibus, ob relaxationem ligamentorum, dislocationem per alia corpora prementia ſtationem ſuam mutare poteſt, ſupradicta autem mutatio ſucceſſive eveniens non niſi gravidis accidit.

§. 25.

Ratione ipſius ſubſtantiæ primis menſibus parum vel nihil mutationis deprehendi poteſt, poſterioribus autem explorator reperiet, quæ §. 11 dicta ſunt.

§. 26.

Abundantia muci vaginam inundantis, pariter ad ſigna graviditatis referri ſolet, verum ſæpe abeſt, & præterea levcorrhœa exceptionem facit.

§. 27.

Reliqua §. 15. magis vaga adhuc ſunt, & magnam partem incognita, nihilominus autem hæc ipſa ea ſunt, é quibus prima imprægnationis indicia & ſuſpicio oriuntur.

§. 28.

Patet itaque, omnia hæc ſigna conferri & collective conſiderari debere, ſi juſtam ex iis concluſionem formare volumus.



§. 29.

Quod alterum momentum attinet, §. 5. ſcilicet ſigna puerperii prægreſſi, hæc ex hiſtoria partus & pnerperii abſtrahuntur, quam itaque brevibus præmittere, ex re erit, quantum quidem ejus huc pertinet.

§. 30.

Uterus maximum expanſionis expertus magni incommodi ſenſum exhibet, unde vires moventes, tam ſpaſticæ, quam ſpontaneæ, quæ ad liberationem & excluſionem contentorum facere poſſunt, cientur: His demum fœtus per orificium uteri, & vaginam, vehementer dilatata protruditur, id quod cum diris doloribus junctum eſſe ſolet. Primus partus frænulum lacerare ſolet.

Aliquæ difficiles, aliæ faciles, aliæ diuturnos, aliæ brevi expeditos partus experiuntur; Pelves vaginæque ampliores, præcipue apud minus ſenſiles partus permittunt adeo faciles, ut infans excluſus in terram decidat.

Avulſâ placentâ, ſanguis in ſinubus uteri dilatatis morans jam prorumpit, & ab uteri contractione ulterius exprimitur.

Sen-



Senſim ſenſimque cruoris rubri proventus minuitur, & lochia abeunt ſucceſſive in ſpeciem levcorrhœæ, id quod apud has jam die tertio, quarto, apud illas ſerius accidit.

Mammæ, durante graviditate jam tumidæ, magis adhuc turgent, ſimulac fluxus lochialis minuitur, & lac fundere incipiunt, quod primum impurum, quaſi purulentum coloſtrum eſt, poſtea dulce, purum evadit.

§. 31.

Mutationes hæ, maximam partem violentæ, non poſſunt non ſui veſtigia relinquere, quæ ut totidem ſigna peracti partus, ſive puerperii conſiderari poſſunt: Cum autem ea ſingula pariter ſuas patiantur exceptiones, & diſtributive conſiderata nîl ſtricte probent, videndum, quid circa ſingula monendum ſit?

§. 32.

Vehemens preſſio, quam infans per vaginam protruſus in hanc exercuit, eam, ut & genitalia externa quaſi contuſit, unde hæc plus minus inflammata, rubra, tumida apparent, vagina mollis & relaxata tactui ſe offert.

Hoc



Hoc ſignum ſolum puerperium ſtricte non evincit, cum rubor, inflammatio, ipſaque vaginæ dilatatio etiam aliis ex cauſſis, ex violentiis, morbisve oriri poſſint.

§. 33.

E contrario autem abſentia horum ſignorum probat, partum, ſaltem brevi antea peractum non eſſe.

§. 34.

Orificum uteri, in puerpera primis poſt partum diebus laxum, adhuc dilatatum, vel certe facili opera dilatabile, ejusque labia mollia, tumida deprehenduntur. Verum fluxus menſtruus, inflammatio, morbi, orificium uteri in hunc ſtatum perducere poſſunt, adeoque hoc ſignum ſolum iterum nîl certi demonſtrat.

§. 35.

Contra vero abſentia ejus partum brevi progreſſum non eſſe, docebit.

§. 36.

Abdomen puerperæ vaſtum eſt, molle, pendulum, rugoſum, ſenſim ſenſimque vero vis contractilis peritonaei, muſculorum abdominalium, ipſius-

ſiusque cutis, utpote quæ partes omnes durante graviditate mire expanſæ fuerant, has iterum contrahit, & abdomen in priſtinum ſtatum redit. Sunt autem plures aliæ cauſſæ, abdomen in vaſtam molem expandentes, unde etiam hoc ſignum per ſe conſideratum inter ambigua pertinet.

§. 37.

Ex melioribus ſignis eſt præſentia lactis in mammis, quarum areola etiam obſcurior cernitur: Haud multis exceptionibus hoc ſignum expoſitum eſt, quamvis fuere, quae extra puerperium lac in mammis geſſerunt, aliaeque etiam poſt partum nullum perceperunt.

§. 38.

Fluxus lochialis quoque inter ambigua puerperii ſigna relegandus eſt, cum fluxus menſtruus & levcorrhœa ſimilia fere phaenomena exhibeant; Fuerunt contra, quibus paucis poſt partum horis omnis fluxus ceſſavit *).

§. 39.

Denique apud puerperas die tertio & ſequentibus nauſeoſus quidam fœtor percipitur, maxime ex

*) Roederer Elem. art. Obſt. §. 201.

ex corruptis lochiis proveniens: Verum ejusmodi odor, verbis caeterum non describendus, etiam aliis ex fontibus emanare, vel alio modo fallere potest.

§. 40.

Ex his omnibus patet, signa haec omnia collective consideranda esse, nec non notandum, ea omnia sensim evanescere, quo longius tempus procedit, adeoque, inquisitionem mature instituendam esse, si quidem aliquid ab ea sperare volumus.

§. 41.

Diu post partum nullum aliud signum restat, nisi aliquae albae splendentes lineae, vel & rugae abdominis, ruptum frenulum & mammae laxiores, quae posteriores autem apud virgines adultiores & morbosas pariter ita se habent.

§. 42.

Partus itaque exanimis §. 3. duplici scopo examinandus est, primum quidem, an objectum homicidii esse *potuerit*, nec ne? In casu posteriori omnis suspicio & reatus infanticidii per se cadunt. Dein autem, si partus talis fuerit, in quem homicidium committi potuit, secundo loco determinan-



minandum, an revera morte violenta perierit, an vero naturali morte decesserit? Nec haec plenarie sufficiunt ad homicidium constituendum, sed ulterius dispiciendum, an laesiones repertae necessario facinus, adeoque auctorem facinoris supponant, an vero per accidens aliquod, sine concursu alterius hominis, evenire potuerint. Casu posteriori veritas saepe latet, & pendet ab inquisitione juridica, reliquisque circumstantiis, magis minusve gravantibus; Lubrica via, qua raro tuto itur. Denique & in vitia omissionis inquirendum, an debita cura gesta fuerit, nec ne?

§. 43.

Dantur omnino partus, in quos, ut à priori jam apparet, homicidium committi nequit, scilicet, cum aut humanus partus non fuerit, aut non vitalis, aut non vivus sub ipso partu, vel post eundem fuerit. De his omnibus jam agendum.

§. 44.

Non omne, quod ex genitalibus fœminae prodit, homo est: Haud raro falsam graviditatem sequitur partus pariter falsus; scilicet, ubi indicia quædam, graviditatem mentientia aderant, verum tamen alia quædam in utero contenta erant, quæ sensim adoles-

adolescebant, & post tempus aliquod per vias partus prodibant.

§. 45.

Quædam non nisi aërem enixæ sunt, postquam vere prægnantes sese crediderant *).

§. 46.

Aliæ hydrometra per modum partus liberatæ sunt, & magnam copiam aquæ, vel & hydatides peperere **).

§. 47.

Cruor coacervatus similes eventus, similia phænomena producere potest ***).

*) Zacutus Lusitanus Prax. admir. L. II. Obs. 141. Hoechstetter Observ. Decad. VI. cas. 4. Ephem. N. C. Dec. III. ann. VII. Obs. 33. Schenk Obs. med. L. IV. Obs. 215.

**) Stalpært van der Wiel Obs. Rar. Cent. I. Obs. 70. Cent. II. ad Obs. 28. Zacutus Lusitanus lc. Obs. 143. Ephem. N. C. Dec. II. ann. 2. Obs. 95. in Scholio. Cent. III. Obs. 32 Schenk lc. Obs. 216. Valleriola Obs. L. I. Obs. 10. Teichmeyer Inst. M. L. p. 81. et apud plures alios.

***) Schenck lc. Obs. 213. Ruysch Obs. anat. chir. Obs. 29.

§. 48.

Frequentiſſima hoc reſpectu ſunt concrementa, ſive membranacea, ſive carnoſa, absque ulla distincta organiſatione *).

§. 49.

In aliis, ſic dictis molis veſtigia confuſæ, non ſatis perfectæ, organiſationis apparent, ut vaſa, dentes, pili & ejusmodi, quæ itaque non niſi ut ovum fœcundatum conſiderari poſſunt, cujus plaſis & incrementum regulare hoc illove modo præpedita fuerunt **).

§. 50.

Forte etiam ovum non fecundatum, ut BOHNIUS ait ***), per petulcam nonnullarum laſciviam, & ſine omni maris cohabitatione ad uterum provocatur, auctumque membranis ex ſero accedentibus in molæ ſpeciem adoleſcere poteſt.

§. 51.

*) Zacutus Luſitanus lc. Obs. 144, 146. Bartholinus Observ. Cent. I. Obs. 97. Schenk lc. Obs. 198.

**) Faſelius Gerichtl. Arzneygel. §. 70. van Swieten Comment. ad §. 1326.

***) Circulus anat. physiol. p. 19.



§. 51.

Quæ hic ibi traduntur de molis viventibus, volantibus *), ad fabulas releganda ſunt **), & ſi quae ejusmodi unquam exſtitit, inter monſtra potius numeranda eſt.

§. 52.

In hos partus omnes, vel potius parta, homicidium committi non potuiſſe, in aprico eſt.

§. 53.

Dein monſtra & prodigia, à forma generis humani adeo aberrantia, ut caracter hominis iis denegari debeat, objectum homicidii eſſe pariter non poſſunt.

§. 54.

Cum homo non modo quoad externam formam nobiliorem, ut nobis ſaltem videtur, à reliquis animantibus differat, cum Deus erectum corpus nobis conceſſit, prout nuperrime HERDERUS praeconavit, memor ſine dubio illius Ovidiani ***)

*) Lemnius de occultis naturae miraculis L. I. C. VIII. Schenk l. Obs. 230. De molis vitalibus. Salmuth Obs. med. C. III. Obs. 90. Ephem. N. C. Dec. I. a. 2. Obs. 160.

**) van Swieten ad §. 1326.

***) Metamorph. Fab. 2.

Pronaque cum ſpectent animalia caetera terras,
Os homini ſublime dedit, coelumque videre
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

ſed &, quod magis eſt, in eo praecipue, quod rationis capax ſit, character humanitatis tam in hoc, quam in illo quaerendus erit. Cum autem hic ſermo de infante neonato ſit, capacitas rationis aliunde dijudicari nequit, niſi ex ipſa illa forma, quatenus illa ex hac praeſumi poteſt; ſcilicet credere fas eſt, in capite, ad humanam formam compoſito, animam reſidere rationalem, & contra, cum cranio beſtiali vel brutali organiſationem cerebri, rationi non faventem nexam eſſe. Forma faciei quoque comparatur, & in cenſum venit. Zacchias ſuperioribus partibus tantum non tribuit *); „Conſtat, ait „monſtra quaedam ſuperiores partes humanas ha„bentia, inferiores partes belluinas, humani nil „habuiſſe. Sed vult potius, ut etiam actiones aliquae, ut vox, humanae ſint: „Si fœtus humanus „caput belluinum habeat, caninum puta, equinum, „caprinum, vitulinum, an pro bellua ſit exiſtiman„dus, nec ne? Si nulla commixtionis ſuſpicio ad„fuerit ſeminis belluini, cur, quod ex humanis „ſeminibus natum eſt, pro homine non eſt haben„dum, cum hæc non ſint vere, ſed per ſimilitudi„nem

*) Quaeſt. L. VII. Tit. I. Q. 4.

„nem talia, quod maxime procederet, ſi etiam „vox ipſa humana & vagitus adfuerit *).

In acephalos ergo, & eos, qui capite eminenter brutali, vel aliâs contra formam humani generis nati ſunt, verum homicidium committi nequit. Aliæ autem aberrationes in artubus vel alibi omnino huc non pertinent, cum characterem humanitatis non aboleant.

§. 55.

In partum non vitalem pariter homicidium patrari non poteſt, ut ex ipſa vitalitatis definitione elucefcit; Vitalis enim partus is eſt, cui conditiones ad continuationem vitæ neceſſariæ non deſunt: contra non-vitalis eſt, qui una vel altera earum caret.

§. 56.

Vitalitate carebit infans aut propter immaturitatem, aut propter pravam conformationem.

§. 57.

Immaturus partus eousque, ut vitalis, ſeu ad continutiaonem vitæ idoneus non ſit, abortus vocatur.

**) ib. n. 15.



§. 58.

Cum accusata quævis contendere possit, se abortum peperisse, necesse est, ut signis utamur, quibus abortus ab infante, tam maturo, quam in tantum immaturo discernatur.

§. 59.

Præmittenda ergo erit brevis historia fœtus, é qua signa infantis maturi, immaturi, & abortus ipsius abstrahi possint.

§. 60.

Primis initiis, postquam embryo ex muco informi prodiit, caput relative grande, corpus parvum habet; Die circiter quadragesimo post conceptionem pollicem dimidium, seu unciam dimidiam æquat, post tertium mensem plus, quam integram. Post quartum mensem, cum ovum ovo struthiocameli æquale est, fœtus ultra quatuor pollices, secundum alios spithamam longus est, usque dum post absolutum gestationis tempus octodecim vel viginti pollices æquat, quæ longitudo maturi infantis esse solet.

§. 61.

Gravitas absoluta eosdem sequitur passus: Maturus infans fere sex libras pendere solet *).

§. 62.

*) Roederer De temporum in graviditate et partu æstimatione.



§. 62.

Dein ipſe corporis habitus quoad omnes & ſingulas partes & membra perfectus & plenus maturo infanti competere ſolet.

§. 63.

Quo magis partus ab his conditionibus recedit, eo magis immaturus cenſendus eſt.

§. 64.

Reliquæ conditiones quoque maturitatem vel immaturitatem produnt, ut: Color cutis, qui apud maturos roſeus vel albidus eſt, apud immaturos autem purpureus, præcipue in plantis manuum pedumque *).

Os amplum aliâs immaturis infantibus tribuunt, quod ex defectu pinguedinis ita ſe habere poſſet, vidi autem certo in immaturis os adeo parvum & anguſtum, ut pupillam mammæ vix capere poſſent.

Lingua, labia, auriculæ purpurei coloris eſſe ſolent in immaturis, quibus porro, ſi pueruli fuerint, teſticuli nondum in ſcrotum deſcenderunt.

Un-

*) ib. §. XIII.

Ungues ejus ſunt breves, ultimas phalanges, præcipue digitorum pedis, ægre tegentes, molles, tenues, purpureusque color translucet.

Fontanellæ, ſeu ſpatia iſta, abs imperfectis adhuc oſſibus bregmatis, frontis & occipitis relicta, majora ſunt in immaturis, licet & hîc exceptiones dentur; Ita JAEGERUS *) in infante, qui omnia immaturitatis ſigna præ ſe ferebat, fontanellam adeo exiguam invenit, ut ejus diameter vix dimidium pollicem æquaret;

Omnia oſſa, maxime ſternum, cartilaginea, mollia flexilia ſunt.

Capilli infantis maturi duriores ſunt, tenaciores, coloris obſcurioris: Immaturus autem teneros, albidos habere ſolet. Supercilia & cilia pilis rarioribus gaudent.

In valde immaturo, apparet adhuc membrana pupillaris, ſcilicet tenera membrana, pupillam obturans **).

§. 65.

*) Scholl Diſput. qua occaſione recentiorum quorundam obſervatorum concluſio ex ſubſidentia pulmonum recens nati foetus examinatur p. 20.

**) de Haller Elem. Phyſ. L. XVI. p. 373. „Pupillaris membrana ad ſeptimum usque menſem in „hominis fetu conſtanter reperitur: ab eodem nunc „in lucem edito abeſt, ut ne veſtigia quidem ſuperſint. Et L. XIX. p. 423. „Septimo menſe „mem-

§. 65.

Hæc ergo ſigna immaturitatis, quo magis eminentia ſunt, & quo majorem imperfectionis gradum innuunt, eo magis partus ad abortum accedet. Fatendum autem, præciſos & exacte determinatos limites non dari, quibus exigua inter abortum & fœtum, licet immaturum, attamen vitalem differentia deſignari queat, & in caſu dubio in mitiorem ſententiam eundum eſſe.

§. 66.

Quodſi terminus imprægnationis cognitus eſt, res minoribus ſubjacet difficultatibus. Ab omni enim ævo in confeſſo fuit, eos omnes, qni ante ſeptimum poſt conceptionem menſem, ſcilicet inchoatum naſcuntur, inter abortus non vitales relegandos eſſe. Sic Auctor librorum Hippocraticorum *περι σαρκων* *), & *περι οκταμηνȣ* **) annum dimidium, ſive centum, octoginta duosque dies pro termino geſtationis eousque juſto ſtatuunt, ut ejusmodi

„ membrana pupillaris Wachendorfii fere ſupereſt,
„ quæ menſe nono plerumque evanuit.

*) *το παιδιον ἑπταμηνον γονον γινομενον λογῳ γεγοννηται, και ζῃ.*

**) *ἐκ τȣ ἡμισεως τȣ ἐνιαυτȣ γινονται οἱ ἑπταμηνοι.*



modi partus vivere, fcilicet vitam continuare poſſit. Similia pronunciarunt ARISTOTELES *) PLINIUS **), & recentiores omnes, ut HANNIBAL FABROTUS ***) FOESIUS ****) DOLÆUS †) Felix PLATERUS ††), BONE-

*) Hiftor. anim. L. VII. c. 4. ὅσα μεν ἐν γινεται προτερα των ἑπτα μηνων, ἐδεν ἐδαμη δυναται ζην.

**) Nat. Hift. L. VII. c. 5. Ante feptimum menfem partus haud unquam vitalis eft.

***) De tempore humani partus Exercitatio I. v. Ottonis Thefaur. Juris Romani T. III. p. 1156. „Quinto, fexto menfe editus — licet vocem emiferit, ut præcoquus et abortivus, vitalis non eft.

****) ad Hipp. L. VI. De morb. vulg. II. Solent vero abortiones fere ante feptimum menfem in omnes menfes cadere.

†) Encyclop. med. Dogm. L. V. p. 282. „Abortus eft intempeftiva foetus nondum perfecti, ante feptimum geftationis menfem exclufio, five vivus five mortuus prodeat.

††) Praxeos T. III. L. II. c. 1. „Præternaturalis partus et illegitimus ipſius foetus exiftit, fi fiat intempeftive, hoc eft, ante terminum partui naturali deftinatum — per quem foetus immaturus, hoc eft, nondum ad juftam magnitudinem progreffus, citius,

BONETUS *), SYLVIUS **) Fr. HOFFMANNUS ***) CHRISTIAN. JOH. LANGIUS †), van SWIETEN ††)

SAU-

citius, quam par erat, plerumque mortuus, alias etiam vivus adhuc, ſed qui mortem vix effugit, rejicitur.

*) Polyalth. L. V. C. XXVI. p. 273. „Abortus eſt „foetus ante ſeptimum geſtationis ſuae menſem excluſio, ſive vivus prodeat, ſive mortuus, poteſt „vero contingere a primo conceptionis momento, „usque ad ſexti menſis finem.

**) Prax. med. L. III. C. VIII. „Omnes ante ſeptimum menſem nati habentur abortivi.

***) Opp. T. III. p. 177. „Immaturum nondumque „vitalem per abortum excretum foetum a partu „ſeptimeſtri vel octimeſtri diſtinguimus.

†) Opp. P. II. p. 157. „Abortus appellatio, ſi ſeptimo aut octavo menſe foetus, imperfectus qui„dem quoad quasdam partes, nihilominus tamen „vitalis excludatur, non aeque in uſu eſt.

††) Comment. in Aph. Boerh. ad p. 1296. „Ante „ſeptimum menſem expulſus foetus raro vel nun„quam ſuperſtes manet, hinc tales ſub abortus „nomine comprehendere ſolent Medici: cum vero „plurima exempla habeantur foetuum ſeptimeſtri„um, qui diu non tantum ſupervixerunt, ſed et „ad bonam ſeneſtutem pervenerunt, hinc tales „partus non amplius vocantur abortus, ſed ſim„pliciter tantum praematuri.



SAUVAGES *) MAURICEAU **), qui terminum abortus adhuc protelat, MANNINGHAM ***), ROEDERER †), aliique. Ejusdem ſententiæ ſunt ſcriptores Medicinae forenſis, ut ZACCHIAS

*) Noſolog. Method. T. III. p. II. „ Abortus eſt „ foetus nondum vitalis ex utero excluſio. Imma„ turus ſeu nondum vitalis eſt foetus, qui ſepti„ mum ſaltem vitae ſuae á conceptione menſem „ non attigit, aut ſi attigerit, debilior eſt, quam „ ut eo tempore excluſus extra uterum vivere „ queat.

**) Des maladies des femmes groſſes. L. I. Chap. XXIV. „ Un avortement peut arriver depuis la fin „ du premier mois, quelquefois même devant, jus„ qu'à la fin du ſeptieme ſeulement, car après ce „ tems c'eſt toujours un accouchement, d'autant „ que l'enfant peut vivre alors, ce qu'il ne fait „ s'il vient auparavant.

***) Comp. art. Obs. p. 77. Si femina vere praegnans longe aut brevi ante ſeptimum menſem foetum emittat, is dicitur partus præmaturus, ſive abortus.

†) Elem. Art. Obs. §. 716. „Qui inter ſeptimi et „ noni menſis, a prima conceptione finem contin„ git partus, præmaturus vocatur; Abortus vero, „ quando ante dictum tempus embryo excidit. „ (Hic ergo, ut Mauriceau, ſeptimi menſis finem, non initium, pro termino ſtatuit).

CHIAS *) VALENTINI **) ALBERTI ***) TEICHMEYER †), FASELIUS ††), LUDWIG †††). & GOE-

LIKE

*) Quæſt. M. L. L. I. Tit. II. Quæſt. X. n. 5. „ Quod partum omni procul dubio cuivis notum „ eſt, natum ante ſeptimum menſem abortivum eſ- „ ſe. Et n. 19. Qui ante ſeptimum menſem naſ- „ cuntur vel naſcuntur mortui, quia abortivi ſunt ; „ — habendi ſunt, ac ſi nunquam nati eſſent. „ Nec obſtaret, quod quis in ſexto menſe naſcere- „ tur et per aliquot horas, aut etiam dies viveret, „ ut fieri poſſe non eſt ita impoſſibile, quin ali- „ quando non contingat — nam quia hic partus habet „ cum vita talem repugnantiam, ut vivere nullo modo „ poſſit, niſi ex miraculo, idcirco abortivus dici debet.

**) Pandect. Med. L. p. I. Sect. I. p. 92. „ Quando „ tempus menſim ſeptem abrumpitur, vocatur „ abortus.

***) Syſtem. Juriſpr. Med. p. 133. Abortus eſt immaturi embryonis depulſio, (quod quidem rem exacte non determinat.)

†) Inſtit. Med. Leg. p. 55. „Partus, qui ante ſeptimum menſem editur, jure civili non pro homine perfecto, ſed pro abortu tantum, immo pro mortuo, plane agnoſcitur.

††) Ger. Arzneyg. §. 24. Eine unreife unzeitige Geburt heiſſet man diejenige, die vor dem ſiebenten Monat der Schwangerſchaft abgehet.

†††) Inſtit. Med. for. §. 222. „ Abortum ſtrictiore vocis ſignificatione appellamus eum, qui ante initia ſeptimi menſis naſcitur.



LIKE *) ex ipſa natura abortus negationem vitalitatis deducit, ut & ESCHENBACH **).

§. 67.

Ejusmodi ergo partus, qui etiam absque omni violentia per ſe certo defunctus fuiſſet, laedi qui-

*) Spec. Legal. §. 18. „ Per vitale intelligimus, quod non ſolum vita actu gaudet, ſed et eo partium robore pollet, ut vitam iſtam aliquamdiu tueri poſſit, — et 97. „ Sententiam noſtram de vitalitate partus quinque — et ſemeſtris — revocare non veremur, quia, etſi quoad organorum et partium ſuarum conformationem abſolutus ſit, durabilem tamen eundem fore et vitalibus aeque ac animalibus actibus edendis aptum, affirmare non audemus: quia multum differt, perfectam partus humani ſubſtantiam obtinuiſſe ejusmodi foetum, et ea pollere organorum diſpoſitione, ut iis ſeorſim vivere alique per naturam poſſit. Quare abortuum potius, quam verorum partuum nomen merentur —. Et ſemeſtris, licet vivus prodeat, ob debilitatem tamen organorum corporeorum et imperfectiorem eorundem elaborationem vitæ durabilis capax non eſt.

**) Med. Leg. §. 20. Abortus — Si conceptus in utero embryo tamdiu non conſervatur, ut natus inter vivos manere queat, ſed ante peractum tempus iſtud, nimirum ante completum á conceptione diem centeſimum atque octogeſimum vivus ſive mortuus exturbatur.

quidem poteſt, ſed cum ſecundum allegata mortuo æqualis cenſendus ſit, occidi ſenſu juridico poſt partum non poteſt, quamvis id fieri poſſe, ſenſu philoſophico non penitus negare audeamus.

§. 68.

Alterum fundamentum non-vitalitatis eſt prava conformatio, quando & quatenus organa ad continuationem vitæ immediate, ſive mediate facientia aut deſunt, aut aliis vitiis eſſentialibus immedicabiliter laborant, ut functionem ſuam exercere nequeant, unde vitam ocius, tardius ceſſare oportet.

§. 69.

Referri huc poſſunt:

Defectus cerebri *).

Defectus cranii **).

Defec-

*) Ephem. N. C. Dec, I. ann. 3. Obs. 129. Velſchius Obſerv. med. Episagm. IX.

**) Schurig. Sillepſilog. p. 608.



Defectus cordis *).

Situs cordis nudi extra thoracem **).

Inteſtina aliave viſcera ex abdomine propendentia ***).

Atreſiæ & coalitus varii immedicabiles ****).

§. 70.

*) Vallisneri Opere Fisico - Mediche T. II. 302. Moſtra ſenza capo, ſenza euore &c. Ephem. N. C. Dec. II. an IX. Obs. 148. de Haller. Elem. phys. L IV. p. 432.

**) de Haller. l. c. p. 302. Ephem. N. C. Dec. II. an. IX. Obs. 98. qualem caſum etiam Burcardus Davides Mauchartus obſervavit. Tourtelle in Journal de Medecine Tom. 62.

***) Ephem. N. C. ibid.

****) Ephem. N. C. Cent. I. II. Obs. 150. Roonhuyſen hiſtoriſche Heilcuren 5. Plater Obs. med. L. III. p. 601. Ephem. N. C. D. III. ann. V. VI. Obs. 151. Dec. I. ann. III. Obs. 2. Dec. II. Ann. VII. Obs. 129, Cent. III. IV. Obs. 139. Schenk Obs. Med. rar. L. III. Obs. 223. Bonet. Sepulchr. L. III. Sect. XIII. Obs. II. 5. 8. 9. 15, 16. Morgagni de ſedibus et cauſis morborum L. III. Ep. 32. art. 3. art. 8. ubi ait: „Inſanabilia ſunt plura hujus„modi vitia, uti occluſio aut adſtrictio eſt in ſupe„riori aliquo inteſtino.

§. 70.

In hos §. 68. 69. ob defectum vitalitatis verum homicidium committi posse, negamus.

§. 71.

Posita autem & maturitate, & charactere humano, possibilitas infanticidii pendet adhuc abs quæstione, an infans sub partu, vel post eum reapse vixerit nec ne? Posset quidem foetus brevi ante partum in ipso utero perimi, de hoc autem postea, sectione tertia de Embryoctonia seu fœticidio agemus.

§. 72.

Si adsunt signa, demonstrantia, infantem nunc natum diu ante partum in utero demortuum fuisse, tum quaestio soluta est, & infans omnino nec sub partu nec post eum vixit. Verum haec signa non nisi ex putredine desumi possunt, adeoque nil amplius probant, quando inquisitio diu post partum instituitur, prouti saepius fieri solet. Probant autem omnino, si mature instituitur. Sunt autem ea:

Subsidentia fontanellae, absque violentiae illatae vestigiis.

Epidermis hinc inde secedens.



Color superficiei lividus, purpureus, ater.

Odor cadaverosus.

Carnes molles, turgidae, diffluentes, quem habitum & viscera monstrant.

Funiculus umbilicalis marcidus, facile lacerandus, foetidus.

Totum corpus, hinc inde turgidum, quasi inflatum, aspectu turpe *).

Caput pariter tumidulum esse potest. **)

§. 73.

Haec omnia autem aberunt in infante, brevius ante mortem mortuo, matureque examinato, & contra aderunt in tali, qui vivus natus fuerat, diu autem post mortem explorationi traditus est: Hinc nil amplius superest, e quo mors infantis ante partum argui possit, nisi *absentia signorum vitae*. Haec sola enim si quidem adessent, vitam infantis sub partu vel post eum evincunt.

§. 74.

*) Jæger Disquisitio, qua Casus et annotationes ad vitam foetus neogoni dijudicandam facientes proponuntur. Tub. 1780. p. 2.

**) ib.

§. 74.

Solent quidem vitam ſaltem usque ad partum, vel ſub ea praeſentem praeſumere ex habitu infantis pleno, perfecto, ex turgore funiculi umbilicalis, vaſorumque placentae, recentisque hujus & illius habitus, & ex abſentia omnis putredinis, denique ex matris valetudine bona durante graviditate. Verum haec omnia certi nîl probant, cum infans omnino brevi ante partum, vel ſub ejus initio defungi poſſit, isque omnia iſta ſigna prae ſe neceſſario ferat.

§. 75.

Adeoque jam de ſignis vitae ſub et poſt partum praeſentis agendum: Solent quidem haec inter ſe diſtingui, cum infans ſub partu reſpirare non poſſe ſupponatur, ob anguſtiam uteri et vaginae, qua thorax comprimatur; Sic Roedererus *) ait: „vaginales capitisque nati reſpirationes fieri non poſſe cenſeo. — Quamdiu thorax cum abdomine, poſt amnii liquoris effluxum, á genitalibus comprehenditur, nullus expanſioni locus eſt: arctiſſime enim iſta circa contentas partes conſtringuntur. Thorax abdomenque laxa modo ſunt, dum amnii

 liquor

*) de Suffocatis ſatura §. 10. p. 313.



liquor ſuis velamentis incluſus, omnem aëris acceſſum arcet. — Frequentes a me obſervati caſus, ubi ſine ullo vitae nedum reſpirationis ſigno, ut vel adſtantes mortuum eſſe foetum jnraverint, foetuum, qui nati extemplo cum vigore vagitu quereſpirarunt, capita per notabile temporis intervallum ex genitalibus pependerunt.„

Et ESCHENBACH *) infantem ſemi-excluſum auram intrahere minime credibile aeſtimat; quibus & accedit CAMPERUS **) provocans ad experientiam, quod ipſe qui partubus quampluri-mis adſtiterit, infantis ſeminati vocem nunquam audiverit; addit idem, eos, qui tale quid audiviſſe ſibi perſuadeant, non bene attendiſſe, vel rem non bene dijudicaſſe, propter velamenta, quibus parturiens tecta eſſe ſoleat, & quod infans, poſito quoque libero aëris acceſſu in vaginam, thoracem dilatare non valeat, praecipue ob contractionem uteri mox inſequentem, qua thorax infantis ſemper bene compreſſus detineatur.

Verum capite ſemel in ſpatia aëre circumfluxa porrecto, infans per depreſſionem diaphragmatis cavum

*) Med. Leg. §. 136.

**) Kennzeichen des Lebens und Todes bey neugebohrnen Kindern &c. S. 55. 56.

vum thoracem eousque ampliare poteſt, licet id non ſemper faciat, ut aliquam ſaltem, etſi forte non ſemper perfectam reſpirationem perficere poſſit. Probant hoc obſervationes Cel. ROUX *), & HALLERUS, **) vagitum omnibus infantibus ſolemnem praedicat, quamprimum caput de vagina prodierit, & mihi ipſi caſus, evincentes hoc, innotuere, ubi infans humeris in vagina detentus vagiit, ut taceam dubias illas hiſtorias, quae vagitus infantum utero adhuc clauſorum memorant ***), utpote qui omnino absque concurſu aëris impoſſibiles ſunt, niſi quidem peculiari in caſu, ****) „in quo membranae quidem ruptae ſint, quod non infrequenter ante partum fit & perpetuum eſt in partu longo & laborioſo, in cujus principio aquae effluxerunt, & in quo nihilo ſecius aliquot poſt „dies

*) Sur les pertes de Sang des femmes en couche. p. 111. „ La tête de l'enfant — (quand il) a franchi la vulve et eſt parvenue au dehors, elle reſte „ quelquefois dans ce lieu pendant un certain tems „ — il reſpire quelquefois dans cette ſituation avant „ de faire plus de progrés.

**) Elem. phyſ. *L.* XXIX. Sect. IV. §. 55.

***) Schurigius in Embryologia eas collegit.

****) de Haller Elem. phys. L. XIX. Sect. IV. §. 56.



„dies fetus adhuc vitalis ſequitur. Si aëri modo „acceſſus datus fuerit, et praeterea caput *eo modo* „converſum, ut aërem de vagina habere potuerit, „poſſit demum dari, fetum & reſpirare poſſe, & „vagire. Fatemur, hos caſus omnino inter rariores & extraordinarios collocari debere, poſſibilitati autem contractionem uteri non obſtare, perſuaſi ſumus. Adeoque, cum nulla amplius differentia neceſſaria inter ſigna vitæ ſub partu, & poſt eum locum habeat, hæc *una* tractari & conſiderari poſſunt.

§. 76.

Cum partus ipſe actus quaſi violentus ſit, tam ratione parientis, quam foetus, cum hic per vias anguſtas, aegre dilatatas, reſiſtentes perrumpere debeat, mutua obtinet preſſio, quae in foetus ſuperficiem omnem praecipue autem caput violenter agit, unde hoc contuſionem quaſi univerſalem patitur, quae illud tumere facit. Hinc tumor vel turgor capitis inter ſigna vitae ſub partu praeſentis relatus fuit. *) In recens inquiſitis hoc ſignum omnino

*) Roederer lc. §. 6. Ejusmodi tumorem nunquam non elevatum obſervavi, cum vivus infans in tranſitu obſtaculo cuidam obvius fit, et non minus in iis notavi, qui vivi etiam in lucem eduntur, ac aliis,

no vitam demonſtrabit, ubi autem putredo cadaver jam occupat, nil amplius probat, ut ex ſupra allato exemplo *) videre eſt.

§. 77.

Secundum quod pro vita ſub partu vel poſt eum militare videtur, ſignorum genus deſumitur ex haemorrhagiis, inflammationibus, congeſtionibus, ſugillationibus, laeſionem ſi quae forte corpuſculo infantis illata fuerit, concomitantibus. De his autem ſupra **) egimus, & demonſtravimus, ea non niſi pro ambiguis vitae ſignis in genere habenda eſſe, quorſum accedit, quod, ſi quoque ſtringentia & apodictice vitam demonſtrantia ſigna eſſent, ea huc uſum non ferre, cum infans brevi ante partum vitam perdere potuerit.

Quam parum in genere ex livoribus & decolorationibus corpuſculi infantis concludi poſſit, ut de naevis taceam, docet praecipue obſervatio ROE-

DE-

is, qui in partu moriuntur. In recens etiam nato infante ſine difficultate lympha ſanguisque, reſorbentur et tumor diſſipatur.

*) §. 72. not. **

**) Sect. I. Cap. I. §. 19. ſs.

DERERI *) puellam concernens, quae in partu ſuffocata candidum pallidumque totum corpuſculum habuit „poſtridie autem, (adeoque diu poſt mortem) „variae cutis regiones *lividae* reddebantur; faciei „puta, craniique dextrum latus, integer colli ambitus, dorſi thoracisque pars ſuperior, inferior „alia dorſi particula, & extremitates inferiores —. Unde ſponte fluit, ut & in adultis novimus, livores naſci poſſe ſine ullo vitae concurſu in vere mortuis.

§. 78.

Hoc loco examinari meretur quæſtio, an fœtui, in utero matris adhuc clauſo & contento violentiæ per alliſionem, preſſionem, ictum, lapſum &c. matris abdomini illatæ nocere poſſint, ita, ut is exinde contuſiones partium mollium, vel & ipſas oſſium fracturas perpeti poſſit? Quemadmodum enim accuſatores, omnes, quæ reperiuntur, læſiones, mox inquiſitæ imputare ſolent, ita e contrario defenſores ejusmodi violentias, abdomini gravidæ illatas allegant, & exinde, quæ repertæ ſunt læſiones infantis, deducunt. Obſervatio, quam IOHANNES GARDNER **) Commentariis Medicis Edinburgenſibus inſeruit,

*) lc. Opuſc. p. 297.

**) V, Band. S. 328.

ſeruit, ejusmodi læſiones, infantibus in utero contentis inferri poſſe, probare videtur. Poſt difficillimos nempe labores partus, ait: „brachte ich den „Kopf heraus, und traf zu meinem groſſen Er„ſtaunen eine groſſe Geſchwulſt hinter dem Kopf „an, die faſt eben ſo gros, als der Kopf war. „Dieſe Geſchwulſt ſas genau auf der lamdafoermi„gen Nath auf, und hatte einen halben Zoll lan„gen und zween Zoll diken Stiel, und war gleich „unmittelbar darauf ſo groſs, als der Kopf des „Kindes. Die aüſere Haut dieſer Geſchwulſt war „ſehr roth, und voller Gefæſſe, allein ohne alle „Haare. Die Deken waren ſehr dike, und hielten „augenſcheinlich eine Feuchtigkeit in ſich, — Sie „beſtand aus einem Pfund aufgeloesten Bluts von „einer ſehr ſchwarzen Farbe, das etwas übel roch. „Es war auch mit einem groſsen Theil der mar„kigten Subſtanz des Gehirnes vermiſcht. (Ich bin „der Meynung, daſs die dike Hirnhaut faul ge„worden, und auf ſolche Art ein Theil von dem „Gehirn in dieſe widernatürliche Geſchwulſt hin„eintretten koennen. —) Der untere Theil des Rü„ckens ſah ſehr braun und blau aus, und die *Len„denfortſaeze* des *Rükgrads* waren ſehr einwaerts „gebogen, und *zerbrochen.* Es ſchien, als wenn „dieſer Theil des Kindes wäre verlezt worden, welches,

„ches, wie man aus dem Alter des Kindes, und
„der Faülniſs ſchlieſsen konnte, wenigſtens einen
„Monat vor der Entbindung muſte geſchehen ſeyn.
„Als ich die Frau fragte, ob ſie in ihrer Schwan-
„gerſchaft einigen Schaden gelitten haette, ſo gab
„ſie zur Antwort, daſs ſie ungefehr vor zwey Mo-
„naten einen heftigen Stoſs auf den Unterleib be-
„kommen, da ſie auf den Rand eines groſsen Waſch-
„korbes gefallen wäre.

Huc quoque referenda eſt hiſtoria, a GLOKENGISSERO Actis Medicis Berolinenſibus *) inſerta: „Infans inventus fuit capite varie diſtorto, quaſi „manibus intorto, cranium in partes diviſum hinc „inde cacumina faciebat; integumenta cranii „erant ſugillata & gangrænoſa, ut & abdomen — „Cranium in 5 partes diviſum, quaſi diſſectum cul- „tro, — maxilla tam ſuperior, quam inferior erant diffractæ &c. quæ p. 98. a fasciis & ligaturis qua gravida abdomen conſtringebat, deducuntur.

Difficile quidem perſpectu, quomodo infans; tectus matris integumentis communibus, muſculis abdominalibus, peritonæo, clauſus utero, natans in undis, undequaque ipſum ambientibus, vim mechanicam, per hæc omnia agentem, percipere, ab ea-

que

*) Vol. IV. p. 95.

que tantum pati possit, nisi quidem uterus plane ab illa comprimeretur, id quod absque læsione hujus insigni, quin letali vix ac ne vix quidem fieri posset: Quodsi igitur laesio aliqua infantis ex violentiis, matri illatis in ipsum redundasse contenditur, ex parte defensoris non asserendum modo, sed probandum & demonstrandum erit, matrem eas revera perpessam esse, & altera ex parte læsio ita comparata esse debet, ut modus ille cum ea conveniat, saltem ei non contradicat, ut v. c. vulnus per instrumentum acutum inflictum, quod non nisi per os uteri apertum, vel uterum ipsum vulneratum ad infantem pertingere potest. Ad contusiones ergo & forte fracturas ossium tantummodo reducenda erunt illæ, si quæ existunt, læsiones mediatæ.

§. 79.

Supersunt & alia læsionum simulacra, quæ in monstrosis vitiis organicis consistebant, & corpora mutila, ossa fracta; deficientia, & ejusmodi exhibent. *) Inter memorabiliores observationes hujus generis recensenda est ea Bohnii **) ubi mater, in quam ensis stringebatur fetum edidit *diffis-*

so

*) v. Haller Opp. min. T. III. De monstris.

**) De offic. med. forens. cap. 6. p. 659.



ʃo capite, ſanguine ad ſubitaneum exitium manante, nec non MAURICEAU *) qui infantem memorat, „n'ayant point de cerveau, ni aucun cuir chevelu „par deſſus, ni même *aucun des os du crane*, ſi„non la ſeule partie anterieure & inferieure du co„ronal, & quelque petite portion de l'occipital, „qui etoit recourbée au dedans — & BÜCHNE„RI **). Die Geburt eines todten Kindes — an „deme der Kopf ganz zerquetſcht ausſahe, maſſen „denn auch das Cranium in viele Stuken zerbro„chen gefühlt werden konnte.

Haec phænomena primo aſpectu cum violentiarum illatarum veſtigiis confundi poſſent, verum accuratior inveſtigatio ſine dubio characteres diſtinctivos exhibebit, cum forte in monſtroſis ejusmodi conformationibus, nec cutis vulnerata, nec margines oſſium, quaſi fractorum adeo acuti deprehendantur.

§. 80.

Aliud vitæ ſignum eſt motus ſpontaneus corporis, & inprimis artuum. Quamvis videri poſſit, id in cenſum venire non debere, cum ſui veſtigia non

*) Des maladies des femmes groſſes. L. I. p. 115.

**) Miſcellanea phyſico - Med. Mathemat. a. 1728. S. 1126.

non relinquat, adeoque inquirentibus nunquam pateat, tameu ſicco pede prætereundum non eſt; Etenim multæ accuſatarum ingenue fatentur, ſe ſenſiſſe motum infantis ante partum, quin & vidiſſe eum poſt partum. Quid de hoc phænomeno ſtatuendum? ROEDERUS *) id pro vitæ conſtantis ſigno haberi non poſſe ſtatuit, inquiens: „Infantes (in paullo ante deſcriptis obſervationibus) artus & diaphragma motu agitaſſe, cor etiam pnlſaſſe; ad reſpirationem autem vitamque revocatos non fuiſſe, pulmones itaque in aqua fundum petiiſſe, memorabile eſt. Multis, ni fallor, de infanticidio inquiſitionibus forenſibus ita obſervatio lucem affundit. Fatentur ſæpius matres, quæ partum clam ediderunt, in quas de infanticidio inquiritur, & de quibus partum expoſitum fuiſſe conſtat: fatentur inquam, natum infantem artus hos illosve commoviſſe, negant autem & pervicaciter negant ſe ullum aliud vitæ ſignnm notaſſe, vel in propria viſcera ſæviiſſe. Infantem autem ſine valente vita artus commoviſſe & Iureconſultis & Medicis mirum ut plurimum phœnomenon videtur, & vix a ſe impetrare poſſunt, ut ejusmodi feminam ab omni violentiæ illatæ culpa abſolvant. Similem autem motum nihil pro conſtante, quæque mox ſi-

ne

*) Obs. med. Satur. De ſuffocatis p. 298.

ne violentia non finiatur, vita probare dictæ observationes, in quarum posteriore vel ipse cordis pulsus superfuit, demonstrant. Certissime potius liquet, fetum, ante partum qui vixit, in ipso partu quandoque ita suffocari, ut mox a partu quædam ultimæ vitæ minimæque reliquiæ supersint, quæ vero, ut ultimi ignis consumto nutrimento fumus, in flammam vegetamque cum respiratione vitam restitui nequeunt. Quæcunque etiam descriptos infantes necaverint caussæ perinde est: in partu eos suffocatos fuisse nobis sufficit. Earundem caussarum in clandestino partu efficaciam nemo negabit.„

Sic & ESCHENBACH *) in neonato, revera mortuo nato artuum motum apparentem dubium movere posse existimat, & similiter CAMPERUS **).

Verum motum sine vita statuere, principiis physiologicis repugnat; Equidem existimo, eos infantes omnino vixisse, at exinde inducere velle, eos violenta morte periisse, absurdum omnino esset, cum tot alia mortis genera dentur, quibus infantes obire & possunt & solent.

§. 81.

Aliud signum vitæ sub vel post partum præsentis exhibent vestigia *factae respirationis*, de quibus

*) Med. Legal. sect. XVIII. §. 134. d.

**) Von den Kennzeichen des Lebens und des Todes bey neugebohrnen Kindern. §. 74.

bus, cum inter præcipua jure numerentur, paullo accuratius agendum erit. Nolo hic integram docimasiæ pulmonum historiam afferre, quam bene collegit & tradidit DANIEL *) sed ea tantum, quæ ad rem ipsam faciunt, proponam.

§. 82.

Primum itaque indicabo, quænam ea sint, ad quæ examinans & inquirens attendere debeat, & quo ordine procedere debeat?

§. 83.

Corpusculum infantis, de quo dubitatur, an sub partu vel post partum vixerit, nec ne? eodem modo inspicitur, ac cadaver adulti, **) nec præterea quid animadvertendum. Vult quidem DANIEL, ***) ex thoracis dilatatione varia definiri posse, & rationem erui posse, quantum increverit thorax per respirationem, comparato remotis tum integumentis communibus, tum musculis ossa thoracis tegentibus, *ambitu externo thoracis, ope fili circumducti cognito*, cum longitudine spinæ dorsi thoracicæ

*) Commentatio de infantum nuper natorum umbilico et pulmonibus. p. 92. ss.

**) Sect. I. Cap. I. §. 33. ss.

***) lc. p. 199.

cicæ, & altitudine, ſeu diſtantia ſterni a vertebris dorſi, hisque omnibus denuo cum volumine pulmonum & cordis & glandula thymus comparatis —. Mirum hic erraſſe Virum Cl. opinorcum diametros horizontales thoracis per reſpirationem permanenter augeri putat. Pulmo enim, ut Veſalius dixerat, *) thoracis ſequitur formam, non autem thorax pulmonis. Nec concipi poteſt, quænam vis thoracem dilatatum tenere poſſet, certe nec molles pulmones facile compreſſiles, nec aër, cui ampla fuga patet per tracheam apertam, nec muſculi jam quieſcentes. Dein hoc majus thoracis volumen ne poſſibile quidem eſt, cum coſtæ & cartilagines elongari debuiſſent, quod plane abſurdum eſt.

Omnino verum id eſt de diametro verticali, cum diaphragma in foetu, nondum reſpirante altiſſimum ſit, per reſpirationem autem deſcendat, priſtinamque altitudinem ob pulmones jam permanenter dilatatos non amplius recuperet. At hæc *ope fili circumducti* explorari non poſſunt. Adeoque ante ipſam ſectionem nil ulterius obſervandum, niſi quod corpuſculum infantis librari, pondusque repertum annotari debeat, partim ob cauſam ex §. 61. perſpiciendam, partim ob deinceps allegandas.

§. 84.

*) De C. H. fabrica L. I. p. m. 111.

§. 84.

Itaque ſecetur primum abdomen, obſerventurque obſervanda: præterea ſtatio diaphragmatis notetur & menſuretur; quod, ut puto, primus jam propono; ſcilicet: Exemtis caute viſceribus abdominalibus

1) Ope perpendiculi ſterno impoſiti notetur, cui puncto, & cui coſtæ ſummum centri tendinei reſpondeat? Ita demum, poſtquam per plura extra dubiorum aleam poſita experimenta conſtiterit, quodnam id punctum ſit in iis, qui nunquam reſpiraverunt, & quodnam id ſit, ad quod reſpiratio diaphragma deprimere ſoleat, in ſingulis caſibus haudparum lucis quæſtioni affundetur, an infans re-ſpiraverit nec ne?

2) Porro tentari poſſet, an diaphragma ulterius ſurſum pelli queat, nec ne? Poſteriori caſu praeſumtioni de non facta reſpiratione aliquid accedet, prior autem contrariae aliquid addet.

3) Secetur thorax, primumque attendatur ad ſtationem & volumen pulmonum, an cavum thoracis repleant, pericardiumque tegant, an vero utrinque retracti ſint, parvi, collapſi, nudumque linquant pericardium.

 4) Exi-

4) Eximantur pulmones cum corde & aſpera arteria ad ingreſſum in pulmones reſciſſa.

5) Abluantur vel abſtergantur, ſi forte ſanguine conſpurcati fuerint.

6) Examinetur eorum ſubſtantia quoad
a) colorem, qui oculis patet,
b) denſitatem,
c) reſiſtentiam,
d) elaſticitatem,
quæ ope tactus explorari poſſunt. Nec non
e) an forte putridi ſint, quod ex odore, colore, conſiſtentia patet.

7) Porro diſpiciendum, annon hydatides, veſiculae aëre plenæ, aliudve præternaturale ſuperficiei eorum adhæreat.

8) Ponderentur pulmones una cum corde, pondusque repertum notetur.

9) Immergantur aquæ puræ frigidæ, vaſe ſufficientis capacitatis circiter ſex octove pollices profundi, pedemque lati contentæ, & attendatur, num mergantur, an ſupernatent, an medium teneant.

Statueram olim, (von den gewaltſamen Todesarten) perinde eſſe, an aqua calida, an frigida ſit? Vérum in aqua calida pulmones facilius natabunt, quam in

in frigida, cum calor exiguam quoque aëris portionem expandat, ſicque volumen augeat. Salſam aquam adhibere non licet, cum hæc pulmones geſtet, in ſimplici aqua ſubmergendos.

10) Cor ſeparetur a pulmonibus, & ponderetur; hoc pondus ſubtrahatur ab eo, quod n. 8. inventum fuit.

11) Pulmones jam ſoli iterum immergantur, obſerveturque eventus, ut n. 9.

12) Sive aquæ plene, ſive ægre innatent, ſive mergantur, ſeparentur pulmonum lobi, diſpiciaturque, an uterque eodem modo ſe habeat, ac ambo, dum juncti erant?

13) Jam ſecentur pulmones, verum haud tumultuarie, ſed ita, ut vaſorum diameter ſimul obſervetur, nec non, ſi forte ſcirrhi, calculi, infantis ſanguinei aliudve præternaturale occurrat, hæc notentur & deſcribantur.

14) Sub ipſa ſectione attendatur, an ſtrepitus audiatur, dum culter transadigitur.

15) Fruſta ſectorum pulmonum rurſus aquæ injiciantur, & obſervetur, quomodo ſingula ſe habeant, ut n. 9. Ea, quæ natârunt, manibus exprimantur, & diſpiciatur, an adhuc natent, nec ne?

 16) Ac-



16) Attendatur porro, an ſub his diſſectionibus, & preſſionibus ſanguis vel ſpuma prodeat, nec ne? an fruſta pulmonum ſub aqua expreſſa bullas aëreas dimittant, nec ne?

§. 85.

Sic inſtituta eſt omnis, quam utilem puto, docimaſia pulmonum; Etenim propriam menſurationem voluminis, quam Daniel *) proponit, inſtituere ſupervacaneum non modo mihi videtur, ſed & nimiis difficultatibus in ipſa praxi obnoxia eſt, ut taceam, nil certi ex ea deduci poſſe, adeoque, cum iisdem prematur difficultatibus, ac vulgaris docimaſia, rejicienda mihi videtur.

§. 86.

Jam, quid ex his omnibus phænomenis, ſive ſic, ſive aliter ſe habentibus caſti ope ratiocinii deduci, & ex quibus tuto concludi poſſit, reſpirationem ab infante peractam eſſe, diſpiciendum eſt.

§. 87.

Infans mortuus reſpirare non poteſt, adeoque omnis, qui reſpiravit, ſub partu vel & poſt eum certiſſime vixit.

*) l.c. p. 200 - 208.

§. 88.

Exinde autem nequaquam ſequitur, eum, qui non reſpiravit, non vixiſſe; Erroneum itaque eſt, quod Camperus ſecundum Galenum contendit, *) vitam & reſpirationem eſſe inſeparabiles, cum ſcilicet illa ſine hac, quamvis hæc non ſine illa eſſe poſſit.

§. 89.

Reſpirationem ab infante peractam docent ea veſtigia, quæ ex mutationibus, quas reſpiratio pulmonibus & ſyſtemati circulatorio induxit, ſuperſunt, & poſt mortem quoque reſtant.

§. 90.

Primus reſpirationis actus eſt inſpiratio, ſeu attractio aëris in pulmones: Exinde rami aſperæ arteriæ, tam majores, quam præcipue minores, ipſæque cellulæ, in quas demum abeunt, dilatantur, expanduntur.

§. 91.

Exſpiratio contra aërem quidem é pulmonibus iterum expellit, verum *non omnem*: reſtat potius notabilis ejus portio in iis, cellulas aëriferas, tam

*) lc. p. 76.



in vivo quam in mortuo diſtentas tenens, qui primus reſpirationis effectus permanens eſt.

§. 92.

Exinde pulmonibus mutationes ſequentes inducuntur:

Subſtantia pulmonum, ut perbene jam GALENUS dixit *),
ex rubra fit alba,
ex gravi levis,
& ex denſa evadit rara.

§. 93.

De his, quibus aëris præſentia in pulmonibus dignoſcitur, præcipuis momentis ulterius diſpiciendum erit:

Quod primum attinet, nempe albidiorem colorem, is naſcitur, ex ipſa diſtenſione pulmonum, & inde neceſſario ſequente ſemotione vaſorum ſanguiferorum, antea ſeſe contingentium; Oriuntur ergo interſtitia inter ea, ſi non aëre,

*) περι χρειας των ἐν ἀνθρωπȣ σωματι μοριων λογ. ις Ed. Bebel. Baſil. 1538. p. 535. — δια τȣτο μεταπιπτει της σαρκος τȣ πνευμονος ἡ φυσις ἐξ ἐρυθρας και βαρειας και πυκνης ἐις λευκην και κȣφην και ἀραιαν.

re plena, tamen ſanguine vacua, unde color, antea atroruber discontinuatur, quaſi diluitur, & in albidiorem tranſit *).

§. 94.

Omnis ergo pulmo, cujus color in albidiorem vergit, aërem continet, inverſa autem propoſitio non valet; ſcilicet dantur morbi, ut pnevmonitis, qui colorem pulmonum, aërem copioſum tenentium in obſcurum vertit. Multo minus ex albido colore ad factam reſpirationem concludi poteſt, cum inflatio artificialis pulmonum, qui nunquam reſpiravere, idem phaenomenon producat.

§. 95.

Altera mutatio, quam pulmones ex præſentia aëris in vaſis aëriferis reſtantis experiuntur, eſt, ut ex gravibus evadant leves. Levitas hæc eſt relativa, non abſoluta, cum per acceſſum aëris pulmones potius aliquid lucrentur, quam perdant, ita, ut etiam ex hac ſola cauſſa in vacuo ponderatos graviores deprehendere poſſis Sin autem gravita-

*) Neſcio, quas difficultates hac in re videat Daniel, l. c. p. 166, cum ait: Colorem pulmonum reſpiratione mutari, certum eſt, quod vel experimentum inflationis pulmonum mortui nati, reſpirationem imitantis, confirmare poteſt; ejus vero cauſſam aegre definiveris. —



vitatem in comparatione voluminis cum maſſa æſtimes, omnino leviores erunt quam antea: Scilicet pollex cubicus pulmonum, quibus nullus aër inhæret, multo ponderoſior eſt, quam ſimilis pollex cubicus pulmonum, qui aërem continent.

§. 96.

Eadem hæc imminuta gravitas ſpecifica patet præcipue ratione aquæ. Etenim ſic mutati pulmones jam aquæ innatant, qui ante eam mutationem ſubmergebantur.

§. 97.

In hoc experimento conſiſtit vulgaris ſic dicta docimaſia pulmonum, §. 84. n. 9. ſs. quæ proprie Galeno debetur, licet ſero ad caſus forenſes applicita fuerit.

§. 98.

Contra hanc pulmonum docimaſiam, vel potius conſequentias, quas exinde multi Medicorum & Jureconſultorum, ſæpe inepte ſatis deduxerunt, plurima dubia, & jure quidem mota fuerunt.

§. 99.

Vulgo pulmo natans pro ſigno reſpirationis, adeoque vitæ, ſubſidens non factæ reſpirationis & mortis habetur. Utrumque valde erroneum eſt.

§. 100.

§. 100.

Pulmones aquae innatantes nîl demonſtrant, niſi aëris præſentiam in iisdem, nequaquam autem, eum ab infante per reſpirationem attractum fuiſſe.

§. 101.

Etenim alii ſuperſunt modi, quibus pulmones aërem capere, & phænomenon natationis exhibere poſſunt. Primus eſt inflatio ab aliis facta: HEBENSTREIT de ejus poſſibilitate dubitat *), ROEDERERUS **) putat, „á ſpiritu ori inflato pulmones non „inflari & dilatari, niſi aliunde fetus reſpiraverit. „Neque adeo iſtum inflatum, judicium de pulmo„num deſcenſu dubium reddere. Verum præter BOHNIUM & TEICHMEYERUM ***), MORGAGNI eam

*) lc. p. 408. §. 27.

**) Opuſcul. de ſuffocatis p. 301.

***) Inſt. M. leg. p. 240. „Contingit interdum, ut pulmo„nes infantis ante partum vel in partu jam mortui, à „mulierculis adſtantibus, quæ eum adhuc vivere „credunt, inſpirato, vel potius inflato aëre ex„pandantur. Wenn dem todt gebohrnen Kinde „ſtark in den Mund geblaſen wird. Ita per infla-

eam assumit: *) & HUNTERUS. **) Sic & alii eam inflationem artificialem pulmonum possibilem omnino judicant, & CAMPERUS ***) experimenta, quæ id extra omne dubium ponunt, instituit, quibus pulmones mortuorum infantum, qui certo non-

runt.

„flationem, in os factam, pulmones ab aëre distenduntur, & postea supernatant. —

*) De Sed. & Caussis Morb. Ep. 19. art. 47. „Nullius „negotii esset, illud ultimum mulierem comminisci, se mortuo edito infanti, cum semivivum existimaret, aërem in os valentius sufflando, quo ad respirandum excitaretur, immisisse: eo igitur aëre pulmones, in aqua natantes, distentos esse: Quin etiam, „ut in omne scelus prona quorundam hominum sunt ingenia, posset inimicoin mulierem animo quispiam, aut „quæpiam, in cujus manus infans, mortuus editus, per „venisse, tclam omnibus id fecisse, ut immerentem calumniaretur, quasi spirantem occidisset.

**) Pyl Neues Magazin &c. I B. S. 423. „Es ist so „allgemein bekannt, daſs ein dem Anschein nach „todtgebohrnes Kind durchs Einblasen in die „Lungen wider lebendig gemacht werden kan, „daſs die Mutter selbst oder irgend eine andere Person vielleicht diesen Versuch gemacht hat. „Vielleicht konnte das auch sogar in der teuflischen „Absicht geschehen seyn, um dadurch die Verurtheilung der Mutter zu bewürken.

***) lc. s. 84. ss.

dum refpiraverant, plenarie inflati & expanfi fenrunt. Similia expertus eft Büttnerus *). Hæc experimenta quidem non femper & ubique fuccedunt, ut, fi pulmones fcirrhofi funt, vel alia impedimenta obftant, quale quid expertus eft Wrisberg **), & fatendum, fpontaneam refpirationem vel ideo pulmones melius aëre replere poffe, quod exfpiratio fimul partem muci impedientis expellat, attamen poffibilitas artificialis, & ftudio factæ inflationis manet.

§. 102.

Severiores Jureconfulti de hac inflatione nîl ftatuunt, cum præfumant, infanticidam eam nunquam tentare: Et mirum, etiam Medicos iis accedere: Ita Eschenbach, feveriorum judiciorum aliâs inimicus ***), fatetur quidem, pulmones auræ in os inflatione fupernatandi vi imbui, verum eam operationem non præfumi inftitutam ab infanticida. Et Roederer ****) ait: „Neque adeo ifte inflatus „judicium de pulmonum defcenfu dubium reddit, „neque feminam, clandeftinum partum edentem, „infan-

*) Vom Kindermord. p. 41.

**) Nov. Comment. S. R. S. Goett. T. VI. Obferv. et Exper. ad confirm. pulm. docimas. inftit. §. 15.

***) lc. p. 204.

****) lc. p. 301. nro 6. IV.

„infantem excitatum aliquid experiri puto. Nec minus CAMPERUS *) ita habet: „Der Einwurf, „den man vom Einblasen der Luft in die Lungen „eines todtgebohrnen Kindes hernimmt, scheinet „mir deswegen von keiner Krafft zu seyn, weil „die Mutter dieses nicht thun wird, auch nicht „jemand von denen, die bey der todten Geburt „des Kindes interessiret sind.„ Et ipse mitis HALLERUS **) „Wenn Luft in die Lunge geblasen „worden, so kann die Lungenprobe in der That „betrieglich seyn. Allein es ist von keiner Kinder„mörderin so leicht zu vermuthen, daſs sie sich „Mühe geben werde, ihrem Kinde zum Leben zu „verhelffen.

An igitur omnem accusatam ut infanticidam veram præsumi fas est? Quid? si aliqua eo fine clam pariat, ut partum in corotrophium deinceps deponat, vel ut ab aliis clam educandum curet, & infantem enitatur mortuum, non respirantem, eaque per os aërem inflet, uti facere debebat, infausto autem eventu, ut infans non refocilletur, mortuusque maneat, quid tum? Et hunc quidem casum pro impossibili vel non dabili, ut ajunt, habere, quis est, qui audeat? Ne autem haec generalis fiat excusatio,

*) lc. p. 82.

**) Vorlesungen II. 2. S. 19.

tio, ſimplici aſſerto nunquam fides habenda eſt, ſed praemonſtrare illa debet, vel diſtincte enumerare, quomodo rem peregerit, cum difficilis ſit operatio, nec, niſi clauſis naribus, ſuccedat.

Exemplum ejusmodi inflationis á matre peractae habet Büttnerus *) & Gesnerus **) eam omnino pro poſſibili agnoſcit.

§. 103.

Alter modus, quo, pulmones aërem capere poſſunt, eſt emphyſema, quod rariſſime quidem obvenit, attamen probat, á ſola præſentia aëris in pulmonibus reſpirationem non evinci.

Signa ejus diagnoſtica Hunterus ***) hæc pronunciat: „Sind die Luftblaſen in den Lungen groſs, und lauffen ſie reihenweis længſt der Einſchnitte zwiſchen den lobulis, woraus die Lunge zuſammengeſezt iſt, ſo iſt die Luft ganz gewis emphyſematiſch, und nicht durchs Athemholen eingehaucht.„


§. 104.

Denique an putredo pulmonum, aërem in iis tanta copia extricare vel generare queat, ut aquæ probe

*) Vom Kindermorde n. 72. p. 197.

**) Entdekungen der neueſten Zeit in der Arzneygelahrtheit III B. S. 756.

***) lc.

probe ſupernatent, ab his affirmatur, ab illis negatur.

Pro affirmativa militant varia tum phænomena, tum teſtimonia: Homines integri aqua merſi, poſt aliquod tempus putredine tument, & ad ripas ejiciuntur.

WRISBERG *) ait: „Licet non omnes corporis animati partes tam facili negotio ad natandum disponi poſſunt, uti id quidem de pulmonibus, inteſtinis, veſica urinaria, thymo & pene oſtenſum eſt, putredine tamen omnium partium animalium, oſſibus exceptis, vel volumen ita augetur, vel aër a vinculis liberatur, ut ſenſim verſus aquæ ſuperficiem emergant, & ſi ſummo in gradu eædem contaminatæ fuerint, perfecte natent, nec ulla ratione ad ſubmergendum reduci poſſunt, niſi ſoluto animalis glutinis vinculo terræ particulæ fundum denuo petant.„

Ut alia taceam experimenta, ea tantum allegabo, quæ Noſter Archiater JAEGERUS olim cum orbe literario communicavit, demonſtrantia, absque omni fraudis ſuſpicione, pulmones, qui nunquam reſpiraverant, qui recentes aqua ſubmergebantur, per putredinem in aqua elevari, & denique perfec-

te

*) l. c. p. 51.

te natare poſſe; *) Plerique quidem tantum in ſuperficie enatas bullas, minores vel minimas aëre plenas habebant, quæ inciſæ aërem dimittebant, & compreſſæ pulmones ad fundum præcipitabiles linquebant. Similia fere vidit MEZGERUS **)

Verum altera ex parte pariter proſtant obſervationes haud paucæ, & veritatis characterem præ ſe ferentes, quæ docent, pulmones per putredinem non ſemper ita mutari, ut natent, ſed potius fundum vaſis aqua repleti conſtanter petant.

Ipſe modo citatus JAEGERUS †) vidit, pulmones, etiam ſummo in gradu putredinis conſtitutos, non ſemper aſcendere in aqua. Similia obſervavit TEICHMEYERUS ††) MORGAGNI, †††) LIEBERKÜHN

*) Diſſertat. de foetibus recens natis jam in utero mortuis et putridis hiſtor. 1. et 3. nec non in Diſſertatione, qua caſus et annotationes ad vitam foetus neogoni dijudicandam facientes proponuntur p. 4.

**) Ueber die Lungenprobe in Pyl neuem Magazin für die gerichtliche Arzneykunde 1. B. 5. 43. u. f.

†) lc. hiſt. 2. et 4.

††) Inſt. Med. leg. p. 238.

†††) De ſedibus et cauſis morb. L. II. Ep. 19. art. 47.

KÜHN, *) CAMPERUS, **) aliique, & recentiſſime PYL ***).

E quibus collatis patet, ex putredine aërem, forte inflammabilem, vulgari atmosphærico leviorem, in pulmonibus, maxime in eorum ſuperficie externa, unde membrana eorum hinc inde in bullas elevatur, generari, easque bullas integros pulmones in altum aquæ, in quam projiciuntur, navis aëreæ inſtar, rapere *poſſe*, rarius autem in profundo pulmonum id evenire, pulmonesque ex putredine nunquam adeo turgefieri, ac quidem ex hauſto per vias aëriferas aëre atmosphærico turgere ſolent.

§. 105.

Ipſam autem pulmonum natationem in dato aliquo caſu dignoſcere, an á putredine pendeat, nec ne? haud adeo difficile eſt. Si fœtor cadaveroſus abeſt, ſi pulmones admodum turgent, & pericardium tegunt, ſi diaphragma depreſſum deprehendebatur, ſi fruſta pulmonum diviſorum manu expreſſa tamen natant, tunc natatio á putredine non pendet.

Sin

*) Diſs. de experimento pulmonum natantium et ſubmergentium §. 8.

**) lc. p. 62. ſ.

***) lc. ſc. N. Magazin S. 56.

Sin autem pulmones, reliquum que corpus admodum fœtent, ſi pulmones contracti, parvi ſunt, ſi aliæ quoque corporis partes aquæ innatant, ſi bullulæ aëreæ extus adhærent, quibus apertis illa ſaltem portio dein demergitur, ſi pulmones in fruſta diſciſſi putridi, manu expreſſi in aqua ſubſident, tum demum pronunciandum eſt, phænomenon natationis à putredine dependere.

Nec hæc ſemper prorſus tuta ſunt, nimiumque videtur, quod de HALLER *) habet: „Major „putredo pondus ſpecificum pulmonum aqua levius „efficit: Neque tunc error in Medici effato locum „habet, ſi levi opera voluerit explorare, num & „reliqua viſcera natent. Id ſi viderit, non aër in „pulmonem per reſpirationem receptus cauſa erit „natandi, ſed aër ex humoribus carnibusque per „communem legem putredinis expeditus„ —. In ſerioribus inquiſitionibus, quæ haud raro inſtituuntur, aër inſpiratus forte fuit, pulmones autem jam putredine corrupti etiam aërem mephiticum ſimul exhibent; adeoque ſola natatio nec inſpirationem nec non - inſpirationem probat.

*) Elem. Phyſ. L. VIII. p. 280.

§. 106.

Tertia tandem mutatio, quam pulmones á respiratione, quatenus aërem in pulmonibus relinquunt, experiuntur, eſt *Raritas*.

Hæc noſcitur ex tactu, minori reſiſtentia, & præſertim ex majori volumine, id quod patet ex ſpatio majori, quod in thorace occupant, dum pericardium tegunt, nec amplius ad ſpinam dorſi retracti ſunt.

§. 107.

Denique ſi ſtrepitus, dum pulmones perſcinduntur, auditur, ſi ſpuma prodit, ſi ſub aquis expreſſa fruſta pulmonum bullas aëris dimittunt, ſi denique pulmones eorumve partes ſub antlia pnevmatica multum tument, ad præſentiam aëris in iis tuto concludi poterit.

Dein, ſi quis voluminis menſurationem, ſive per aquam ſive per arenam, ſive alio modo inſtituere vellet, quod Daniel fecit, is omnino de volumine, ejusque augmento facto eo certior fieri poſſet.

§. 108.

Hæc autem omnia cum non niſi præſentiam aëris in pulmonibus demonſtrent, ex iis, præſertim prop-

propter poſſibilitatem inflati, non ab ipſo infante per modum reſpirationis hauſti aëris, ad vitam ejus ſub partu vel poſt eum concludi nequaquam poteſt.

§. 109.

Aliunde ergo lux petenda erit, has tenebras diſperſura. Neque enim in remanentia aëris in pulmonibus ſola conſiſtunt effectus reſpirationis factæ, ſed alia, eaque nobilior & notabilior mutatio exinde pulmonibus contingit; Scilicet vaſa pulmonum ſanguifera, ante reſpirationem compreſſa, collapſa, exiguam ſanguinis quantitatem hactenus admittebant, poſt expanſionem autem pulmonum per reſpirationem dilatata, diducta, á compreſſione liberata, majorem ſanguinis vim recipiunt, ab eaque ulterius expanduntur, majoremque nanciſcuntur diametrum.

§. 110.

Accidit hoc tam arteriis, quam venis, ita, ut exſpiratio inſpirationem inſequens, quamvis exitum ſanguinis é pulmonibus promoveat, pulmonesque iterum aliquantum comprimat, neutiquam omnem eam ſanguinis copiam, quam prior admittebat, iterum expellat. Ita fit, ut hæc mutatio per-

manens fiat, post mortem hominis quoque restet, & evidentibus vestigiis signisque se prodat.

§. 111.

Nimirum in pulmonibus, qui respirarunt, *plus sanguinis* post mortem restabit, quam in iis, qui non respirarunt, etsi his post mortem aër inflatus fuerit.

§. 112.

Nec non in iisdem vasa sanguifera magis dilatata erunt.

§. 113.

Prius dignosci & explorari potest per avtopsiam, cum ex sectis pulmonibus multum sanguinis prodit, §. 84. n. 16. Quoniam vero hæc fallax est, forte elutio sanguinis, ejusque collectio & exsiccatio certius quid demonstraret, verum & hoc difficile nimis & incertum foret. Ast vera, majorem sanguinis in pulmonibus restantis copiam explorandi ratio posita est in facili experimento librationis, §. 84. n. 8. & 10. Etenim pondus sanguinis, qui per respirationem accessit, pondus pulmonum non potest non notabiliter augere.

§. 114.

Quantum vero præcise augeat, id non nisi experimentis, crebrius in ejusmodi infantibus, ubi nulla oppositi formido subesse potest, institutis, determinari poterit, dum pulmones, corpusque integrum neonatorum, qui aliquot forte horas post partum factasque respirationes evidentes demortui sunt, trutinantur, repertaque pondera inter se comparantur, & cum eadem experimenta instituuntur in iis, qui certo mortui nati sunt, adeoque nunquam respiraverunt. Ita rationes constantes emergent primum inter pondus corporis totius ad pulmones, qui respiratione usi sunt, & secundo inter pondus corporis totius, ad pulmones, qui nunquam respiratione gavisi sunt. Quantum mihi quidem hactenus ex tribus saltem observationibus, quas jam in medium proferam, innotuit, rationes istæ hæ erant:

Pueri neonati, qui paucas ante partum horas manifesta signa vitæ ediderat, sub ipso autem partu mortuus certo nullum aërem cepit, corpus integrum una cum pulmonibus pendebat grana 53, 040. Pulmones autem densi, collapsi, vel potius nondum expansi grana 792 in aequilibrio tenebant, adeoque ratio corporis totius ad pulmones, si hos a pondere corporis non subtrahis, erit fere, ut: 67: 1.



Alius fœtus maturus, perfectus, qui nunquam respiraverat, pondus corpusculi ad pulmones exhibuit, ut: 70: 1. *).

Alius fœtus non quidem perfectus, qui tamen respiraverat, rationem corporis totius ad pulmones exhibuit, ut: 70: 2.

§. 115.

Videmus exinde, pondus pulmonum ab accedente per respirationem sanguine, & post mortem iis adhuc inhærente *duplicari*, adeoque in casibus dubiis hanc normam esse, ope cujus de facta, vel non facta respiratione judicare possumus: Nimirum, si experimenta §. 84. n. 8. & 10 docent, rationum pulmonum ad corpus integrum esse circa, ut: 1: 70, tum infans non respiravit, sin autem esset circa ut 2: 70: vel ut 1: 35, tum eum respiravisse certum erit.

§. 116.

Quin et, si observatores semel per numerosiora adhuc experimenta medium pondus pulmonum, tam eorum, qui respiratione usi, quam eorum, qui ea non gavisi sunt, stabilirent, tunc brevi manu sola libratio pulmonum respirationem celebratam vel non

*) v. Jæger Diss. cit. §. 12.

non celebratam ſaltem in maturis declarare poſſet. Si v. c. pondus conſuetum medium pulmonum fœtus maturi, reſpiratione nondum gaviſi drachmas 12 - 15 æquaret, & pulmones explorandi contra 24 - 30 drachmas ponderarent, tum reſpirationem factam eſſe confidenter enunciare poſſemus.

§. 117.

Hæc mea docimaſia pulmonum nec á putredine incipiente, nec ab inflatione ab aliis facta, nec ab emphyſemate, nec á bullis aëreis adhærentibus turbatur vel dubia redditur, quibus omnibus hygroſtatica pulmonnm docimaſia expoſita eſt; cum præterea ejus applicatio & inſtitutio tam commoda ſit, §. 84. n. 8. & 10. ſpero, eam demum auctoritatibus publicis inſtitutum iri.

§. 118.

Quantæcunque antem ejus prærogativae ſint, diſſimulandum tamen non eſt, eam, prout res humanæ ſunt, ſuis quoque premi dubiis & difficultatibus, quarum autem pleræque non niſi imaginariæ ſunt.

§. 119.

Huc pertinet a) dubium, *an conſtans ratio ponderis pulmonum erga corpus integrum obtineat?*

Alle-

Allegari poteſt, non eſſe partem corporis humani, quæ non aliquando in ratione ſua ſtereometrica ad reliquas aberraverit: Sic reperta eſſe corda hominum modo enormia, modo minuta, naſos dari magnos, parvos, quin & ipſum thoracem, cujus figuram & amplitudinem pulmones ſequuntur, in his eſſe anguſtiorem, in illis ampliorem, nec non in his illisve molem majorem viſcerum abdominalium per preſſionem in diaphragma cavum thoracis anguſtare, & contentis in eo, maxime pulmonibus debitam extenſionem & incrementum denegare poſſe.

Ad hoc dubium regero, exceptiones ab ordinaria naturæ lege, & conſtitutiones praeternaturales conſtantiam legis ipſius non evertere, & latitudinem obſervatam in noſtra cauſſa errorem non inducturam eſſe, cum ratio iſta mathematica me ſuadente ex *numeroſis* obſervationibus eruenda ſit, & ſic medietas quaedam, ad longe pleroſque dein caſus applicabilis non poſſit non reſultare: Deinde ejusmodi aberrationes in neonatis, niſi evidenter monſtroſis, non tam frequenter occurrunt, quam in adultioribus, queis per vitae tractum innumerae potentiae nocivae naturalem conſtitutionem immutare poterant.

b) *Si*

b) *Si forte pulmones & reliquum corpus in diversa foetus aetate inaequali ratione crescunt, tum in minus maturis alia ratio assumenda erit, quam in iis, qui plenum gestationis tempus in utero permanserant.* *)

Respondeo: Inaequale hoc incrementum thoracis ratione reliqui corporis nullis probari observationibus, & majorem capitis in fœtu proportionem, analogiam quoad thoracem non inducere, cum caput ex aliis plane caussis in embryone non possit non multo majus esse, quam in fœtu majori.

Dein, si id, quod §. 116. proposui, exerceri potest, haec difficultas non amplius moveri poterit.

Praeterea in exploranda & capienda ratione maturi tantum fœtus adhibendi sunt, & si objicias, eandem difficultatem manere in eruendo forte casu forensi fœtus alicujus nondum maturi, respondeo, in fœtibus longe immaturis & non vitalibus hoc examen male & supervacuò institui, & in aliis, maturitati propioribus, etiam rationes captas ad prius cognitas istas eo magis accessuras esse.

c) *Cum*

*) ex citata Disquisitione *Jaegeriana*. p. 36.



c) *Cum ob diverſam pinguedinis copiam pondus neonatorum adeo variare poſſit,* *) *difficillime ratio conſtans reperietur, & in applicatione eadem difficultas iterum recurret.*

Sentio hujus objectionis, à Viro Ill. factæ, pondus, quod vero minuetur, cum videamus, ex tabulis vg. *Roedererianis*, pondus neonati tantum non ſemper inter ſex & ſeptem libras verſari, & diverſitates ibi notatas pendere magis à majori vel minori maturitatis gradu, in ponderoſioribus itaque infantibus majus incrementum corporis univerſi adfuiſſe, adeoque & pulmonum.

Dein, ſi ratio ex quamplurimis infantibus capiatur, habebimus iterum medietatem illam, quae demum normae inſtar erit. Nec non propoſitum in §. 116. etiam hoc ſolvet dubium.

d) *Cum ex allegatis* **) *obſervationibus conſtet, pulmonem eſſe partem corporis aliquotam valde parvam, facile heic error ſubrepet.*

Sollerti & adcurata omnino opus eſſe inveſtigatione, ut ibidem docetur, facile largior; addo: minutam illam rationem, quam pulmones ad corpus

*) ibid. p. 36.

**) ibid. p. 37.

pus habent, non impedire, quo minus differentia inter pulmones respirationem expertos, & eos, quibus ea negabatur, valde conspicua sit, & sub trutinam cadat, cum pondus acquisitum integro ponderi priori aequale sit.

e) *Si differentia ponderis pulmonum adeo exigua est, ut vix lancem deprimat tollatve: tum judicium eo difficilius ferri poterit;*
Hanc vero ad duas tresve drachmas æstimat Ill. Archiater JÆGERUS *).

Quodsi differentia ponderis inter pulmones respiratione usos & non usos tam minuta esset, fateor, novam meam docimasiam facili errori subjectam fore, quamvis libra exacta non tantum drachmis, sed & multo minoribus ponderibus mutetur. Quid, si autem differentia ista multo major sit? Equidem, cumprimum istam proponerem, experimentis destitutus magis exempli causa, ut perbene annotatur **), duas uncias sanguinis per respirationem pulmonibus accedere posse, assumsi, putabam tamen, in fœtibus majusculis eam forte rationem obtinere posse. Et nunc ex observatione ***) allegata, collata cum alte-

*) ibid. p. 38.

**) l. c. p. 38. not. I.

***) l. c. p. 4. f.

altera *), inferre licebit, quod, ſi fœtus prior, cujus pulmones 14 drachmas cum granis 40 æquabant, reſpiraſſet, tum pulmones ipſius, perinde ac alterius fœtus, reſpiratione gaviſi, rationem: 70: 1 mutaviſſent in 35: 1 adeoque pondus, æquale 14 drachmis + gr. 40 lucrati fuiſſent, quod à duabus unciis quatuor tantum ſcrupulis diſtat. Idem fere ex altera obſervatione abs me allegata concludi poteſt, cum iſtis pulmonibus drachmæ tredecim cum granis duodecim accedere debuiſſent. Verum & his per reiterata & collata experimenta demum major lux affulgebit.

f) *Si infans, haemorrhagia demortuus ſectioni ſubjicitur, iſta ſanguinis jactura rationem mutare poſſet.*

Ajo: Si rationem mutat, tum ita mutabit, ut pulmones, reſpiratione uſi, reſpectu corpuſculi anæmi eo graviores evadant, adeoque pro vita infantis, quæ in caſu ſubſtrato adfuit, cum mortuus hæmorrhagiam pati non poſſit, certabit. Cum enim in moriente cor dextrum adhuc aliquoties pulſet, ſiniſtro jam quieſcente, eo ipſo aliquot undæ ſanguinis in pulmones ſemel dilatatos agentur, quæ ob negatum tranſitum in cor ſiniſtrum in iis reſtabunt,

*) l. c. p. 34.

bunt, & pondus abſolutum augebunt. Eodem modo dubium ſolvitur, qnod in iis caſibus moveri poſſet, ubi infans diſſectus urinam & meconium perdidit, quorſum accedit, ut hæ jacturae annotari, & à pondere corpuſculi facile ſubtrahi queant. Dein provoco quoque hîc ad §. 116.

g) *Hydrops corpuſculi, ſive univerſalis ſive particularis, perinde ac hydrops pulmonum mutabit rationem ſtabilitam.*

Fateor, & addo, hoc in caſu, verum rariſſimo rem in ſuſpenſo manere, niſi ex reliquis ſignis & circumſtantiis certitudo reſpirationis ſtabiliri vel rejici poſſit.

h) *Eodem modo nodi, ſcirrhi, mucus in aſpera arteria & bronchiis congeſtus pulmonum pondus valdopere augebunt.*

Omnino: Verum nodi & ſcirrhi, præterquam quod raro occurrant, in oculos cadunt, adeoque hi caſus ad inextricabiles relegandi ſunt, niſi aliunde lux affulgeat; Etenim reliqua ſigna vitæ & mortis poſt partum excludere nequaquam volo, vel potius cum mea docimaſia combinanda eſſe cenſeo, prout jam olim innui. *)

i)

*) Von den gewaltſamen Todesarten §. 149.



i) Alius adhuc restat nodus, quem pariter Ill. JAEGERUS texuit *), scilicet: „*An ex nimia „congestione sanguinis pulmo foetus non respi- „rantis tam gravis fieri possit, ut jam pulmo- „ni respirantis aequalis, quin &, si artificio- „se infletur, in eo similis fiat, ut aquis inna- „tet, adeoque non amplius ab alio, respira- „tionem experto differat?*

Videamus, quomodo is extricandus sit?

Ejusmodi congestionem sanguinis in vasa pulmonis *collapsi*, per respirationem nunquam dilatati, equidem pro *impossibili* habeo, præsertim in fœtu, cujus foramen ovale & ductus arteriosus, vias sat amplas & adapertas sanguini elapsuro præbent, ut in ipsos pulmones, quantacunque vi urgeatur, vix ac ne vix quidem ultra modum consuetum irruere possit.

Quin & illæ ipsæ Observationes *Roedereriananae* **) hanc meam theoriam tantum non evertunt, ut eam potius perbelle suffulciant & roborent. Prior illarum puerum sistit, per octo horas in vagina moratum, ab orificio uteri vehementer con-

*) l. c. p. 39.


**) ibid. p. 39. 40.

conſtrictum, poſt partum tamen artus aliquoties moventem, & paullo poſt morientem, in cujus *thoracem* omnis vis ſanguinis coacta, & encephalo ſubtracta erat, cum omnia *cordis* vaſa ſanguine ſummopere diſtenta, reſciſſo corde integer *thorax* ſanguine inundatus, cunctæ pariter *thoracis membranae inflammatae* & ſplendide rubentes, vaſa contra cerebri abdominisque vel modice repleta vel plane depleta erant.

Altera obſervatio puellam habet, quæ absque reſpiratione poſt partum demortua erat: „huic *cordis auriculae*, venæ & arteriæ ſanguine ita turſerunt, ut nil ſupra cogitari poſſit, atqui pari modo etiam *thoracis membranae* inflammatæ rubuerunt, non aliter certe, ac ſi de induſtria minima etiam vaſcula repleta fuiſſent.

Jam notabis, in utraque hac obſervatione de *pulmonibus*, ejusque vaſis altum eſſe ſilentium, quos, ſi eodem modo ſanguine inundati fuiſſent, Roedererus, ad ea, quae ad forenſia pertinent, attentiſſimus, certe non praetervidiſſet, eorumque mentionem omnino feciſſet, unde jure meritoque concludo, pulmones in ſimili ſtatu non fuiſſe: Dein, ſi non fuerunt, in eum abire nunquam poſſe, (in fœtu ſcilicet, qui nunquam reſpiravit.) Nam, ſi

 un-



unquam, certo hîc, cum in vaſa thoracica reliqua omnia magna vis ſanguinis ingereretur, pulmones ſanguine oppleri, infarciri, diſtendi debuiſſent.

Quicquid concedere poſſum, eo redit, ut vis ea urgens perparum forte ſanguinis in vaſa pulmonalia ultra modum pellere, eaque ſupra naturalem diametrum diſtendere poſſit, quod vero nunquam pondus pulmonum eo usque augebit, ut ad rationem pulmonum, reſpiratione uſorum accedant.

k) *Putredo corporis pulmonumque minuit pondus abſolutum utrinque, adeoque ratio inventa turbabitur* *).

Reſpondeo: Vbi putredo eo usque invaluit, ut corporis & pulmonum pondus abſolutum imminueret, ibi nulla amplius disquiſitio locum habebit, cum partes ſolidas jam in putrilaginem diffluxiſſe oporteat, adeoque hic caſus in applicatione nullam pariet difficultatem.

In minori autem gradu noſtra docimaſia difficultates occurrentes tantum non augebit, ut eas potius ſolvat.

l) *An obſervatio Mazini, qua pulmones foetuum magis provectorum minus denſi ſunt, & forte in tra-*

*) Schott a. a. O.

trachea & ramis majoribus aliquid aëris ſtabulatur, nullam hic parit confuſionem?

Reſpondeo: Minime, cum hîc de pondere abſoluto agatur, & differentia tanta eſſe omnino nequeat, ut ab aëre ambiente etiam ponderis differentia effici poſſit.

§. 120.

Poſterius, §. 107. ſcilicet major diameter vaſorum ſanguiferorum ægre, nec, niſi abs valde expertis dignoſci poterit.

§. 121.

Sic & ad foramen ovale ejusque valvulam, nec non in ductu arterioſo aliquæ mutationes evenient, quæ autem ægerrime explorari poterunt.

Huc & ea ſpectant, quæ PORTAL *) propoſuit; Is nempe ope ſectionum, ſollicite inſtitutarum, adnotavit, quod plerique neglexerunt, vtrumque bronchiorum ramum primarium differre ab invicem. Dexter ſcilicet, quarta parte ſiniſtro craſſior, & hic illo quinta parte longior eſt; ſiniſter ramus & magis deorſum & retrorſum inflexus eſt:

 quæ

*) Memoires de Paris 1769. 549. ſq. v. & Daniel l. c. p. 145.



quæ quidem directio pro ætate differt. In fetu, qui nondum respiravit, ramus sinister magis inclinatus est ad dorsum & inferiora, quam in eo, qui respiravit; & in nuper nato, ramus dexter magis ad superiora ductus est, quam ante partum.

Deinde membranam etiam internam bronchiorum examini snbjiciens, deprehendit, eam constare fibris longitudinalibus parallelis, atque efficere in primis in eo loco, ubi ramus sinister oritur, notatu dignam valvulam, natam partim ex membrana, partim ex superiori cartilagine hujus rami, interius eminente. In fetu, qui nondum respiravit, ramus sinister magis inflexus est, & valvula magis eminet. Simul vero, ac dexter pulmo aërem hausit, dexter ramus sursum ducitur, & valvula retrahitur. Ramus dexter, libere quaquaversum movetur, si opus est; e contrario sinistrum aorta amplectitur, ut hæc ejus mutationes sentiat, & contra; siquidem, nimium repleta sanguine, aorta comprimere ramum dictum poterit, atque impedire, quo minus aër subire pulmonem sinistrum possit, & sufficienter distendere. rel. — In fetu, qui non respiravit, aorta inflexa est retrorsum & supra rami sinistri latus. Simul vero, atque infans respirat,

ſpirat, & pulmo inprimis ſiniſter, ramus dictus attollitur, ſimul cum aorta, atque, ut ramus verſus anteriora ducitur, ita quoque aortæ directio mutatur. — Ex variis experimentis, in animalibus vivis inſtitutis, colligit auctor, ſub quavis reſpiratione aortam ſurſum & antrorſum duci, quum vero pulmones collabuntur, deprimi & retrahi ad dorſum. — Ex aliis experimentis, ubi pulmo dexter exhibuit reſpirationis & inflationis ſigna, quibus ſiniſter deſtituebatur, concludit, dextrum citius reſpirare, quam ſiniſtrum, niſi ſanguis, aut mucus pulmonem dextrum oppilaverit, ut aër ſiniſtrum ſubiret; idemque forte per omnem vitam locum habere. Cujus rei hanc addidit rationem, quod bronchiorum ramus dexter eſſet amplior & capacior ſiniſtro, longiori & anguſtiori, & membrana præterea ex parte occluſo, ut aër hic majora, pulmonem ſubeundi, deprehendat impedimenta, quam illic: aortam etiam & ductum Botalli, ſanguine, referta, comprimere ſiniſtrum ramum, ut difficultates augeantur.

Unde explicandum, quod jam Petit **) obſervârat, infantis, qui reſpiratione tantum imperfecta, incompleta uſus eſt, pulmonem dextrum præ ſiniſtro aërem capere.

**) Memoires de Paris 1733.

§. 122.

Hæc ergo aut ſuo modo docent, infantem reſpiraſſe, adeoque vixiſſe, aut rem in dubio relinquunt: Etenim plane non reſpiraſſe, nedum non vixiſſe infantem, *nullus* horum experimentorum *eventus* demonſtrare poteſt.

§. 123.

Reſpirationem non factam eſſe, aliâs ex ſubmerſione pulmonum in aqua concluſerunt, verum præcipitanter et falſò: Etenim plura proſtant obſervata, quæ probant, pulmones ipſorum adultorum in aqua ſubmerſos fuiſſe, e. g. eorum, qui morbo mucoſo perierunt. „Utplurimum, ait Roederer *), „illa farctura omnes veſiculas aëreas vel replet, „vel comprimit, atque parenchymatis pondus ſpe„cificum ita auget, ut interdum cum annexa par„te laxiore in aquam demerſus pulmo fundum petat.

Norreén idem vidit in iis, qui ſummo frigore ſubito exſtincti ſunt **) de Haen ſimiles affert obſervationes, ***) ſic & de Haller Opuſc. Pathol. Obs. XVI. hiſt. 1. 2. 3. pulmones peripnev-

*) De morbo mucoſo p. 173.

**) Vogel N. M. B. VIII. 195.

***) Rat. Med. Tom. II. 123. V. 50. IX. 29.

pnevmonicorum in aqua ſubſidentes reperit, nec non STOLL *) ait, fruſta pulmonum, peripnevmonia genuina laborantium, ſubſidere, pariter WRISBERG **) ejusmodi phænomena ut frequentia agnoſcit præcipue apud eos, qui variola denati ſunt. Errat itaque LIEBERKÜHN, †) ſtatuens, ſubmerſionem pulmonum indubitate demonſtrare, eos nunquam reſpiraviſſe: Poſſibilitas enim ſcirrhorum vel indurationum in pulmonibus infantum in dubium vocari nequit, cum WRISBERG ††) & MORGAGNI †††) eos viderint.

Scirrhi enim pulmonnm, ut & pituita craſſa, pulmones obſidens, eos ſubmergere poſſunt ††††): Compreſſi in thorace pulmones ejusdem erunt indolis, interdum & pulmones phthiſicorum †††††).

*) Rat. Med. T. I. 93. 152.

**) lc. 42.

†) Diſs. de experimento pulmonum natantium et ſubmergentium Halae 1772. p, 13

††) lc. §. 15.

†††) lc. Ep. XIX. art. 46.

††††) v. Zeller Diſsert. Infanticidas non abſolvit, nec à tortura liberat pulmonum in aqua ſubſidentia.

†††††) Heiſter Diſs. cit.



§. 124.

Hæc autem præternaturalia, præterquam quod rarius occurrunt, per curiosiorem inquisitionem & explorationem pulmonum facile deteguntur, quorsum præcepta §. 84. n. 12. & 13. faciunt. Fatendum est, his casibus ex hygrostatico experimento nullam lucem affulgere.

§. 125.

Cum igitur pulmones in aqua submersi tam parum doceant, iterum ad meam supra propositam docimasiam confugiendum erit, si quidem scire interest, an infans non respiraverit, quod in caussis, ubi de hæreditatis transmissione agitur, majoris momenti est, quam quidem in hisce. Docebit enim libratio pulmonum, an subsidentes in aqua pulmones cum ratione eorum, qui respiraverunt, an cum iis, qui respiratione non usi sunt, conveniant: Quodsi enim pulmones prioris generis tamen in aqua mergantur, ob accedens pondus ex scirrho, pituita &c. eo multo ponderosiores, adeoque eo minus dubio expositi erunt.

§. 126.

Quicquid autem hæc vel illa pulmonum docimasia doceat, poterit quidem indicare, infantem re-

spi-

ſpiraſſe, adeoque vixiſſe, nunquam autem, eum non vixiſſe, cum vita etiam ſine reſpiratione adeſſe poſſit, quod bene agnovit HEBENSTREIT *) inquiens: „Cum in lucem infans editur, adeſt illi eadem, quæ „naſcituro aderat, ſine aëre uſuque pulmonum vi„vendi facultas, patent illi viæ, quibus ſanguis, „cum in utero eſſet, pulmones præterlabitur, fora„men ſcilicet ovale, atque canalis arterioſus; Catu„los vivos natos & pulmone nondum uſos ſtran„gulatos diu ſupervixiſſe, BOHNIUS vidit, & quo„tidiana obſervatio obſtericum docet, diu ſine re„ſpiratione mortuis ſimiles jacere neogenitos, qui „tamen vivunt, & vivere pergunt —. Dein etiam vivus natus variis ex cauſſis, tam morboſis, quam violentis, aëris primo hauſtu intercludi poteſt.

§. 127.

Quid? quod exempla proſtant, infantes neonatos per ſat longum tempus aliqua reſpiratione uſos eſſe, quin vocem aliquam edidiſſe, quorum tamen pulmones nulla veſtigia conſuetarum, & deſcriptarum mutationum exhibuerunt: Vidit nempe D. BRICELIUS referente MAUCHARTO **) infantis, per octodecim horas á partu viventis, & in templo bap-

*) lc. p. 402.

**) Eph. N. C. Cent. I. et II. Obs. 121.

baptizati, pulmones tam integros, quam fruſtillatim in aquam, non minus copioſam, quam parcam, injectos, fundum petentes. Et HEISTERUS *) infantem neonatum, ſed adeo debilem, ut pro mortuo haberetur, per novem horas vixiſſe, membra omnia moviſſe, *vocem, ſeu vagitum, licet debilem edidiſſe*, & deglutiiſſe ea, quæ refectionis fine in os ejus infundebantur: Hujus mortui pulmo, aquæ immiſſus, reiterata vice, fundum petiit promte, tam cum annexo corde, quam ſine eodem.

Noſtris diebus LODERUS **) ſimilem tradidit obſervationem, in infante nondum maturo inſtitutam: Vixerat is teſtibus pluribus horas tredecim, *vocem ediderat*, & placida denique morte occubuerat. Aperto thorace animadvertit Ille cum nonnullis auditoribus, pulmones collapſos, eodemque colore tinctos, quo gaudent in illis infantibus, qui nunquam aërem duxerunt. Exemti pulmones in aqua ſubſidebant, id quod etiam factum eſt, cum a corde & thymo ſeparati, iidemque in fruſtula minima diſſecti eſſent, (at aquæ, ſale communi ſaturatæ, innatabant) Pulmones hi nec ſanguine, nec muco,

*) Diſsert. de fallaci pulmonis infantum experimento.

**) Progn. quo pulmonum docimaſia in dubium vocatur ex nova anatomica obſervatione Jen. 1779.

muco, nec materia tophacea repleti erant, nullumque in iis ſcirrhorum veſtigium apparebat. Foramen ovale cordis hians & apertum, via per ductum arterioſum Botalli valde libera reperiebatur: Nec abſimilem legimus obſervationem abs meritiſſimo Dr. Jaegero 1756 factam, ubi tamen plenaria ſubſidentia non animadvertebatur *).

§. 128.

Mirum hoc phænomenon editæ vocis absque plena reſpiratione exinde explicandum videtur, quod aër ſub niſu reſpirationis, quidem in aſperam arteriam ejusque ramos majores intret, eorumque diametrum, quatenus ob carneam ſubſtantiam mutabilis eſt, revera mutet, in minimos autem ramos & cellulas aëriferas penetrare, quacunque demum ex cauſſa impediatur: Si jam viciſſim vires exſpirationis agunt, pars aëris ex aſpera arteria & ramis majoribus iterum collabentibus expulſa ſub exitu per glottidem ſonum excitare poteſt.

§. 129.

Hos autem ſimilesque pulmones in aqua ſubſidere, mirum non eſt, nec mea docimaſia, cum reſpi-

*) Scholl Diſſertatio, qua occaſione recentiorum quarundam obſervationum concluſio ex ſubſidentia pulmonum recens nati foetus examinatur.

respirationem factam tantummodo docere queat, vitam istorum infantum detegere valebit. Pulmones fetuum quorundam non natare, ait Hallerus *) *quia parum respirarunt.*

§. 130.

Rationes multæ sunt, cur nonnunquam omnes conatus neonatorum, respirationem celebrandi irriti sint & maneant, ita ut, aut imperfecta tantum respiratio, aut plane nulla ab iis peragi possit: Quod æqualem utriusque pulmonis expansionem attinet, videtur omnino pulmo sinister ægrius dextro aëre repleri, ob caussas, quas Portal **) affert. Iteratæ observationes Mezgeri ***) saltem phænomenon probant, quod etiam ab aliis hinc inde observatum est. Itaque impedimentum quodcunque, dextro saltem pulmoni oppositum etiam respirationem in universum sufflaminare potest, attamen non semper, cum & ipse Portal bis observaverit, pulmonem sinistrum ab aëre dilatatum, dextro interim per mucum & cruorem impedito.

§. 131.

*) Elem. phys. L. VIII Sect. IV. p. 281. not. t.

**) lc.

***) Pyl. Magazin. lc. et p. 154. et programma de pulmone dextro ante sinistrum respirante. v. Elsner Bibl. I. B. p. 94.

§. 131.

Ipſæ cauſſæ, primam reſpirationem neonati præpedientes, ſunt aut ſpontaneæ morboſæ, aut violentæ, hæque iterum aut fortuitæ, aut doloſæ.

§. 132.

Morboſæ cauſſæ fere hæ erunt:

Mucus tenax, cujuscunque originis *), occupans & obſtruens nares, os, fauces, glottidem, tracheam, bronchia, veſiculas aëriferas. Hæc cauſſa eſt omnium frequentiſſima, omnes conatus reſpirandi ſæpe vanos reddens, ut videre poſſumus in vitulo ZELLERI **) cujus pulmones, nec in univerſum quidem, tenaci muco obruti erant.

Nec obſtat, infantem ſemel, vel aliquoties reſpiraviſſe, cum exſpiratio mucum, in trachea ante præſentem, movere, ſurſum pellere, & in glottidem, multo anguſtiorem, ac quidem capacior trachea erat, impingere poſſit.

Debilitas, impediens, quo minus organa reſpirationis functionem ſuam exercere poſſint: Diutur-

*) Roederer lc. p. 319.

**) Diſs. cit.

turna forte pressio thoracis sub partu difficili huc conferre potest.

Deliquium, status apoplecticus.

Spasmus oris, obstructis simul naribus, glottidis, vesicularum pulmonalium, diaphragmatis, musculorum thoracicorum.

Atresia oris, nasi, tracheæ, concretio bronchiorum, vesicularum pulmonalium.

Revolutio linguæ.

Compressio tracheæ abs cervice uteri stricta, funiculo umbilicali, quam autem in partubus clandestinis vix ac ne vix quidem obvenire, æstimat Bose *). Possibilitatem vero nemo est, qui neget.

Varia vitia organica thoracis.

Polypus, vias aëriferas obstruens.

Compressio pulmonum ex visceribus aliisve contentis abdominalibus, diaphragmatis descensum impedientibus, nec non:

ex

*) Progr. de judicio suffocati in partu foetus in foro adhibendo.



ex thymo nimis tumido,
ſteatomatibus thoracicis,
herniis thoracicis *)
corde nimio, præpingui, anevrysmatico **)
pericardio ſcirrhoſo,
magnis anevrysmatibus aortæ, vel arteriæ pulmonalis,
hydrothorace,
empyemate, Puris ſaltem poſſibilis generatio in foetu patet ex obſervatione MEZGERI ***)
cruore effuſo in cavum thoracis
emphyſemate thoracis. ****)

Porro ex nimio ſanguine congeſto, vaſa aërifera, vel & integros pulmones comprimente. Pertinet huc memorabilis illa ROEDERERI *****) obſervatio, de puero,

*) Bartholinus Hiſt. anat. Cent. VI. n. 55. Bonet. Sepulchr. Obs. 41.

**) Stoll. Rat. Med. I. p. 298.

***) lc. in Pyl.

****) Gooch medical et chirurgical Obſervations. Hewſon Medic. Obſervat. and Enquiries Vol. III. Kellie Medic. Commentarien von Edinburgh. B. II. S. 429.

*****) lc. p. 294.



puero, quem in vitam revocare frustra laboraverat, „Sectione instituta omnis sanguinis vis in tho-„racem coacta & encephalo subtracta reperiebatur. „Ex utraque caussa cum cordis motu vita perire „debuit. Cuncta cordis vasa sanguine summopere „distenta fuerunt, auriculæ, venæ majores, & ar-„teriæ, magis tamen venæ, quam arteriæ, turse-„runt. Rescisso corde integrum thoracem sanguis „inundavit. Cunctæ etiam thoracis membranæ in-„flammatæ splendidæque rubuerunt, thymi puta, „pericardii, cordis, vasorum majorum & plevra —. Mirum tamen, pulmonum ne ullam quidem mentionem in hac observatione factam esse.

Quænam in hoc casu congestionis sanguineæ caussæ fuerint, non facile determinandum est, cum & hic occurrere possint impedimenta varia ex vitiis cordis, arteriæ pulmonalis, horum atonia, tubercula, calculi, hydatides, emphysema pulmonum, œdema eorundem, frigus externum, spasmi, &c.

§. 133.

Vides ergo, quam multa observanda sint, quorum unius ex tot tantisque prætervisio ab oscitante vel ignorante facta, per consequentias juridicas, horrendum dictu! insonti forte caput avellere posset.

§. 134.

§. 134.

Ad violentas, ſive fortuitas, ſive doloſas reſpirationis præcluſiones pertinent: Partus in balneo: Fœtus excluſus ex aquis in aquas tranſit, aëreque omni intercluſus eum capeſſere nequit: Vita quidem ex denegata aliquamdiu prima reſpiratione non ſubito tollitur *), quin proſtant obſervationes, quæ, vitam animalium neonatorum ſub aquis non ſtatim perire, demonſtrant; Ita BUFFON **): „Man kann mit einigem Grunde glau„ben, daſs ſich das eyrunde Loch nicht ſogleich nach „der Geburt verſchlieſst, und alſo immer noch ein „Theil Blutes durch dieſe Oeffnung geht, daſs alſo nicht „alles Blut gleich anfangs den Weg durch die Lunge „nimmt, und man vielleicht ein neugebohrnes Kind „ohne Lebensgefahr der Luft eine Zeit lang berau„ben kœnnte. Ich machte mit jungen Hunden ei„nen Verſuch, der dieſes zu erweiſen ſcheint. Ich „hatte die Mutter, eine ſtarke Hündin von der „Art der gröſten Windſpiele in ein Gefæſs voll „warmen Waſsers thun laſſen, und ſo angebunden, „daſs ihre Hintertheile im Waſser waren. Sie brach„te in dieſem Waſser drey Hunde zur Welt, wel„che ſich bey ihrer Geburt in eben ſo warmer „Feuchtigkeit befanden, wie die, aus welcher ſie

„her-

*) v. ſupra §. 121.

**) Hiſtorie der Natur I. Th. II. B. S. 269.



„herausgekommen waren. Man half der Mutter „bey der Geburt, wuſch die Hündchen in dieſem „Waſser, und brachte ſie zurechte, worauf man „ſie in ein klein Gefæſs voll warmer Milch that, „ohne ihnen Zeit zum Odemholen zu geben. Man „hielt ſie über eine halbe Stunde in der Milch, „und wie ich ſie einen nach dem andern heraus„nahm, fand ich ſie alle drey lebend, ſie fiengen „an, Odem zu holen, und durch den Rachen eini„ge Feuchtigkeit von ſich zu geben. Ich lieſs ſie „eine halbe Stunde lang Athem holen, und ver„ſenkte ſie alsdenn wieder in die Milch, die ich „indeſſen wieder hatte wærmen laſſen. Ich lieſs ſie „eine halbe Stunde von neuem darinnen, worauf „nach dem Herausziehen, zwey ſich nach und nach „munter befanden, und von der Beraubung der „Luft nichts gelitten zu haben ſchienen, der dritte „aber ſchien matt. — Ich lieſs zwey davon etwa „eine Stunde lang Odem holen, und alsdenn wie„der in warme Milch thun, worinn ſie alſo zum „drittenmal eingetaucht wurden. Sie blieben eine „halbe Stunde darinn, und ſchienen beym Her„ausziehen faſt ſo munter als zuvor —.

Quod ad homines attinet, vita eorum ſub aquis aliquandiu quidem perdurare poteſt, quod urinatores,

res, & submersi iterum excitati & in vitam revocati probant; Credibile quoque est, infantem in balneo exclusum aliqnandiu absque respiratione vivere, eumque postea debita adhibita cura vere excitari posse; Quodsi autem diutius in aquis, maxime frigidis derelinquuntur, omnino stagnatio circulationis universæ obtinebit, infansque morietur. Etenim necessitas respirationis post partum, præter alia exinde præcipue pendet, quod circulus in foetu duarum virium concursu peragebatur, scilicet vi proprii cordis & arteriarum, dein vi arteriæ ex placenta advenientis, quæ quidem ratione fœtus ut vena considerari debet, quorsum accedit vis derivans arteriarum umbilicalium: Post partumcessant hæ vires auxiliatrices, circulusque aliam expectat, quam & in respiratione invenit & acquirit; qua ergo deficiente circulus torpet, stagnationes, tandemque ipsa mors, sequentur. Ratio, cur in canibus idem non eveniat, quærenda est in pulsu valde frequenti *), quo hæc animalia gaudent, utpote qui magis irritabile & validius cor innuit.

§. 135.

Prima respiratio porro denegabitur, si infans aut totus quantus, aut capite tantum membranis obvo-

*) Barberet über die epidemische Krankheiten des Viehes p. 132.



obvolutus editur, qualia exempla habent, HARVEIUS, *) STALPART van der WIEL **) CAMPERUS ***) nec plane infrequens eſt phænomenon. Viis aëriferis ita velatis, aër præcluditur, infantique moriendum eſt. „Ein ſolches Kind, ait „CAMPERUS †) muthwilliger weiſe in den Mem„branen eingeſcloſſen zu laſſen, iſt bey mir ein „wahrer Kindermord, obſchon er nicht geahndet „wird, da es nicht geatmet habe. Aber in die„ſem Falle werden unwiderſprechliche Zeugen er„fordert, die verſichern kœnnen; daſs es gelebet „habe: Bey einer unæchten Geburt kan man die„ſes nicht wiſsen, und es würde die gröſte Un„menſchlichkeit ſeyn, jemand dieſes Mordes ſchul„dig zu halten, ſo lange es nicht gewis bewiesen „wird, daſs es gelebet habe, und ſelbſt in dieſem „Falle kœnnte man nicht anders urtheilen, als daſs „es durch Nachlæſigkeit geſtorben wære; eben ſo, „wie eine mit einem ſcharfen Gewehr gemachte „und den Tod verurſachende Wunde nicht für „vollkommen tœdlich gehalten wird —.

Quid

*) De generatione animalium p. 356.

**) Obs. Rar. Cent. II. p. 355.

***) lc. p. 36.

†) lc. p. 37.

Quid hoc poſterius ſibi velit, vix perſpicio, niſi ſimilitudinem innnat, quam ſtatuit inter læſiones peraccidens letales & hanc, quam proponit, omiſſionem liberationis á membranis, reſpirationem impedientibus, quæ vero analogia nequaquam locum habet. Verum omnino, in hoc, ut in priori caſu, cum vita infantis forte præſumi quidem, at certo demonſtrari non poſſit, vitium iſtud omiſſionis, ſi quidem rea ejus convinci poteſt, ſeveriorem inquiſitionem, vel & pœnam, licet extraordinariam, graviorem tamen, meretur.

§. 136.

Ejusdem quoque cenſus eſt ea reſpirationis primæ impeditio, quæ fit, cum infans ex genitalibus matris prodeuns immediate, ſordibus cloacæ, maxime portatilis per ſpatium ſæpe breviſſimum, cum genitalia à ſuperficie ſordium forte vix aliquot pollicibus diſtent, immittitur, quales hiſtoriæ in actis criminalibus non raro occcurrunt. „Recens nati præcipitationem in „cloacam mejendi atque alvum deponendi ſtimulo „excuſare ſolent, quod non omnino impoſſibile *). Ita infans tempus reſpirandi non lucratur & ab aëre præcluditur.

*) Sikora Conſp. med. legalis de infanticidio §. 15.



§. 137.

Porro ea suffocatio, (si quidem hoc vocabulo uti licet etiam de iis, qui ne unquam respiraverunt) huc pertinet, quæ infanti accidit in linteis, sanguine & aliis sordibus, quibus maxime in faciem pronus immittitur & imponitur; Fieri hoc posse, etiam absque dolo, historia abs HUNTERO *) allata demonstrat: „Eine Dame, in einer abgelegenen Ge-„gend der Stadt wurde zur Nachtzeit mit Wehen „befallen. Ihre Amme, die in dem Hause schlief, „und ihre Bediente wurden gewekt, und man schik-„te zu mir. Ihre Entbindung gieng geschwinde „von statten, und das Kind war gebohren, ehe ich „kam. Es schrie sogleich, und sie fühlte, daſs es „sich stark bewegte. Da sie alle Augenblike er-„wartete, mich in ihr Schlafzimmer kommen zu se-„hen, und besorgt war, daſs dem Kind ein Leid „widerfahren kœnnte, wenn eine ungeschikte Per-„son die Stelle einer Hebamme vertræte, so wollte „sie der Amme nicht erlauben, das Kind anzurüh-„ren, sondern erhielt sich in einer sehr angreifen-„den Stellung, damit das Kind nicht mœchte ge-„drükt oder erstikt werden. Ich fand es auf dem „Ge-

*) S. Pyl. Magazin. I. B. S. 426. Ueber die Ungewisheit der Zeichen des Mordes an unehlich gebohrnen Kindern.

„Gesichte in dem natürlichen Abgange der Mut-„ter liegen, und so vœllig todt, daſs alle meine Be-„mühungen, es zu retten, vergebens waren. Ejusmodi ſæpe accidunt.

§. 138.

Sic & ii, qui ſimpliciter lecto & linteis cooperti ſunt, aëris acceſſu fruſtrari poſſunt. Idem eveniet, ſi manus admotæ, cineres, arena, aliudve corpus ſive fluidum ſive aliud ori naribusque infantis neonati ante reſpirationem primam applicatur.

§. 139.

In his omnibus § 131 — 138 idem judicium ferendum eſt, ac in §. 135 dictum fuit.

§. 140.

Inundatio per liquorem amnii, os, fauces intrantem eosdem effectus edit *).

§. 141.

Hactenus demonſtravimus, infantibus vivis excluſis reſpirationem intercludi poſſe, adeoque his ſigna vitæ, quæ á reſpiratione petuntur, deficere, nec

*) Roederer lc. p. 320.

nec itaque ex eorum ſola abſentia ad abſentiam vitæ concludi poſſe.

§. 142.

Ulterius ergo diſpiciendum, annon ex urina & meconio adhuc ſigna vitæ poſſint erui?

§. 143.

Secundum ordinem naturæ ad excretionem utriusque materiæ, quatenus ea ad functiones vivi animalis pertinet, requiritur vis vitalis, ſpontanea relaxatio colli veſicæ & ſphincteris ani, preſſio diaphragmatis & muſculorum abdominalium, nec non contractio veſicæ & inteſtinorum: Conſtat pariter, hæc omnia ordinarie fieri poſt partum: Quodſi ergo urina & meconium in infante, cujus mortis genus ignotum eſt, jam excreta reperiuntur, conſequentia inde deducta fuit, infantem, ſi non poſt partum, certe ſub partu functionem vivi hominis exercuiſſe, adeoque & ipſum tunc temporis vixiſſe: Si porro conſideramus, in demortuis omnibus ordinarie & urinam & ſcybala reperiri, hæc ſic ſatis ad hanc ſententiam firmandam conſpirant.

§. 144.

Fuerunt quoque, qui de hoc phænomeno ceu ſigno vitæ neogoni magnifice ſenſerunt; ſic HEBEN-

STREIT

STREIT *) exinde infert, „inter ſigna fœtus vivi „in lucem editi illud haud ultimum eſſe, ſi ejus „veſica urinaria vacua reperiatur, claro indicio, „illum actionem aliquam, quæ tantum vivo homi- „ni competit, exercuiſſe. Conſentit ADOLPH **) &, præcipue Frid. BOEHMERUS ***) qui ſaltem certitudinem mortis fœtus in utero ex plena veſica deducit.

De meconii autem excretione aliter ſentiendum eſſe videtur, cum videmus, meconium effluere, veſicam plenam reſtare †) illud in agone etiam ante reſpirationem prodire, quin mortem infantis in partu conſtituti indicare ††). Verum exiſtimo, etiam meconium ex vere mortuo, cum ſphincteres relaxati ſunt, parca modo copia exire poſſe, cum ad ejus excretionem ſi non vis reſpirationis, certe motus periſtalticus inteſtinorum requiratur, niſi qui-

*) Funiculi umbilicalis humani pathologia in Halleri Diſp. anat. Vol. V. pag. 686.

**) Diſs. de infanticidii notis, ſectione legali detegendis. p. 64. 67.

***) Novum jus controverſum T. I. p. 438.

†) Roederer lc. p. 296.

††) ib. p. 304, præcipue in nota, ubi plures Auctores allegantur.



quidem alia vis mechanica abdomen externe comprimens accedit, omnemque adeo copiam meconii excreti ab agonizante editam esse posse, quae in casibus nonnullis diu post mortem consecutam demum prodit.

Similitudo utriusque excretionis, meconii nempe ac urinae patet ex eo, quod in utraque concurrere soleant inspiratio, relaxatio sphincterum, & contractio membranarum continentium. „Mirandum esse, ait JAEGERUS *) in Medicina forensi „ab evacuatione vesicae ad vitam extra uterum „conclusum esse, cum contra in arte obstetricia „excretio meconii pro vulgatissimo foetus intra uterum agonizantis mortuive signo habita fuerit, licet caeterum notum sit, hunc meconii effluxum „subinde fallacem esse —.

§. 145.

FASELIUS **) contra vesicam vacuam inter signa foetus in utero mortui refert: HALLERUS ***) ait, „Vesica foetus urinam subinde continet, alias „nullam, ut certo vidi; & JAEGERUS ****) ad ob-

*) Diss. cit. p. 43. not. 9.

**) l.c. §. 186. n. 13.

***) Elem. phys. T. VIII. p. 368.

****) l.c. p. 45.

obſervationnes provocat, demonſtrantes, in fœtibus, certo intra uterum mortuis nullam in veſica urinam deprehenſam fuiſſe. Accedit poſſibilitas urinæ ex compreſſione abdominis emiſſæ, ut habet Ovelgün †): „Quemadmodum obſervatur, meco„nium, cujus aeque ac urinæ ante partum excre„tio nulla fit, in partu difficili a vivis etiam in„fantibus ex nimia abdominis compreſſione non„nunquam dimitti, ita cum urina idem accidere „poſſe, vero ſimile eſt. — Addo, in mortuos compreſſionem æque, quin magis agere, quam in vivos, cum in iis reſiſtentia colli veſicæ non tanta ſit. Dein & vitia veſicæ rem abiguam reddere poſſunt, monente Jægero ††), „Meconium cer„te, ait Hebenstreit*) ex ano naſcentis fluens, „ad vitam ejus poſt nativitatem actam cognoſcen„dam nil facit, cum & mortuis fluat.

Adeoque ex urina & meconio, ſive retentis, ſive excretis tuta ad vitam infantis ſub partu vel poſt eum concluſio formari nequit.

§. 146.

†) Acta Nat. C. T. VIII. Viſum repertum in caſu infanticidii.

††) lc. p. 46.

*) Anthropol. for. p. 416.



§. 146.

Perpensis huc usque §. 74-145 signis, vitam fœtus sub partu vel post eum magis minus stricte sive evincentibus, sive removentibus, monendum adhuc est, eorum collectivam considerationem utilem esse, unumque alterum demum illustrare & dilucidare debere.

§. 147.

Quodsi igitur ex iis clare pateat, infantem sub partu, vel post partum vixisse, et ignoto hactenus mortis generi succubuisse, investigandum & determinandum jam est, quodnam illud fuerit, an naturale seu spontaneum, an violentum? Quamvis enim jam, evicta vita infantis, hic objectum infanticidii esse *potuerit*, tamen exinde nequaquam sequitur, eum *revera occisum fuisse*, nam, quod tirones sciunt, á posse ad esse non valet consequentia.

§. 148.

Non possum non hîc invective declamare contra eos, sive Medicos, sive Jureconsultos, qui simulac de vita infantis post partum constat, mox de cæde clamant, quasi infans neonatus non nisi morte violenta perire posset; Hi nec inductionibus, nec cap-

captiosis quæstionibus, nec & minis parcunt, quin, si non hodie, certe olim statim ad torturam trahunt accusatam, quo ream habeant confitentem. Illi quemcunque livorem pro sugillatione, pro signo illatæ violentiæ declarant, sanguinemque sitiunt, cui parcere omni modo deberent, salva tamen omnino justitia, utpote ad quam, mediate quidem & indirecte promovendam abs Jureconsultis Medici consuluntur.

Minus probe ergo Eschenbach *) statuit, „omni casu Medicum, é submerso pulmone mor„tuum natum infanticidæ fœtum declarantem, „hanc nullo modo gravare, ad mitiorem quippe „sententiam inclinantem, *nec etiam, ut crimen pu„niatur, curare Medicum.*

§. 149.

Juvat ergo prius, quam ad violenta mortis genera descendamus, spontanea, quibus infantes expositi sunt, recensere, quæ tantum non á patratore pendent, facinusve supponunt, ut potius sæpe omni cura & studio averti nequeant.

§. 150.

Quamvis & infantes neonati cuilibet fere morbo & morti succumbere possunt, tamen Spontanea

*) l. c. p. 201. f.



tanea mortis, iis accidere ſolitæ, genera reducuntur ad

1) Præcluſionem reſpirationis nondum inchoatæ, quales plures ſpecies recenſitæ & anticipatæ ſunt §. 130-140.

2) Suffocationem poſt hauſtum aërem.

Plures mox citatarum ſpecierum etiam huc pertinent, ut: mucus relabens, glottidem occupans, cum forte pulmones faucesve antea obſederat;

Debilitas organorum, reſpirationi inſervientium.
Spaſmus eorundem.
Revolutio linguæ.
Compreſſio pulmonum varia incompleta, ibidem recenſita.
Vitia cordis.

3) Debilitatem univerſalem, qua infans mutationem ex novis ambientibus tolerare non poterat.

§. 151.

Quod violenta mortis genera attinet, ea ſunt læſionum effectus, quæ hoc ſenſu & reſpectu, qui heic obtinere debet, aut doloſae, aut non doloſæ, aut ambiguæ, ſcilicet tales ſunt, quas ex ſola earum natura discernere non poſſes, an ſtudio an caſu illatæ fuerint?

rint? Hæ poſteriores, omnium frequentiſſimæ juridicis indiciis demum determinari debent.

§. 152.

Violentiæ & læſiones ergo omnes ac ſingulæ, quæ Sect. I. Cap. IV. § 1 — 146. propoſitæ ſunt, etiam neonato infligi poſſunt: Notandum modo, eas omnino multo magis & facilius funeſtum eventum habituras eſſe in corpore tam tenello, quam quidem in adulto, quod & in venena, præcipue halituoſa quadrat.

§. 153.

Sunt tamen, quæ ſolis vel frequentius omnino neonatis contingunt, quas recenſebo, adjectis annotationibus, quæ poſſibiles læſionum modos, quibus illatæ forte ſunt, & factum vel non factum illuſtrare poſſunt.

§. 154.

Pertinent itaque huc:

Deſtructiones totales. Sect. I. §. 74. Ita nonnunquam corpus delicti maxima ex parte perit. Eo & refero abruptionem capitis, quæ non niſi ab alio, dum in partu conſtitutus eſt infans, peragi poteſt: Poſt partum autem omnino una perſona eam perpetrare valet.

§. 155.



§. 155.

Laesiones cerebri ib. §. 8 — 17. in infantibus non raro occurrunt: Plura autem hic notanda veniunt: Primum quoad modos laedendi: Hi sunt aut rariores, cum caput alliditur, percutitur, &c. Sugillationes, fracta ossa, effusus cruor, destructio cerebri ejusmodi facta designant;

Aut majori studio illata fuit laesio per fontanellam depressam, ut cerebrum tantum ex pressione patiatur; Etiam hîc sugillationes & ecchymoses occurrunt.

Aut summa astutia acus cerebro infixae fuerunt per fontanellam, per aures, per nares, qui modi exactum scrutinium requirunt, deprehendentur tamen ecchymoses & forte ipsa vestigia & vulnera, quae per corpora adacta facta fuerunt.

§. 156.

Quod sugillationes attinet, de iis, earumque fallacia Sect. I. satis superque dictum fuit; addo hîc: capita infantum neonatorum plerumque ejusmodi exhibere, „Fast alle Leichname von Kindern „ait HALLERUS *) welche einem anatomischen „Theater überliefert werden, haben dergleichen „Blutergiessungen, besonders am Kopfe.

§. 157.

*) Vorlesungen &c. B .II. Th. II. p. 9.



§. 157.

Effuſus cruor, facile confunditur cum lympha illa rubella, quam ſecundum naturam illi ineſſe, docet Idem.*) „Das Hirn kleiner Kinder, inquit, iſt „ſehr blutig, und ſeine Kammern ſind mit einem „roethlichen Waſſer angefüllt, welches der Unge- „übte leicht für Geblüte anſehen kan. Deinde, quod Sect. I. Cap. II. de hæmorrhagiis dictum eſt, hîc repetere neceſſe eſt.

§. 158.

Poſita autem & evicta potentia mechanica, quæ in caput infantis ſub partu vel poſt partum agens eum necavit, exinde nondum ſequitur, violentum hoc mortis genus ab occiſore vel ex dolo procedere; Etenim:

Licet a manibus violentis injectis, femoribus compreſſis &c. ejusmodi læſiones produci queant, tamen & absque dolo, quin ſine omni culpa evenire poſſunt; ſic pelvis anguſta, caput infantis in partu conſtituti valide comprimens, vel & unum tantum alterumve os, ſingulariter prominens **) non modo con-

*) ibid. p. 22.

**) Roederer Elem. art. Obſtetr. §. 389. lit. δ.



contusiones & sugillationes inferre potest, sed &, ut ROEDERER *) ait, „fœtus cerebrum a fortiori pres-„sione comprimitur, & collum ita tenditur, ut „sanguinis in capite circulus intercipiatur; quin „ipsa quandoque cranii ossicula franguntur —. „Sunt, ait HEBENSTREIT **) multa violentia-„rum illatarum simulacra, quibus secantes induci „poterunt, ut delinquentem indiciis onerent: Vi-„debunt integumenta capitis ex rubro livida, tu-„mida, sed caveant sibi, ne effusum, illata manu, „sanguinem propterea subesse, statim pronuncient, „sæpe enim á partu laborioso, propterea, quod il-„lum sine auxiliis perfecit mulier, contunduntur „integumenta capitis, & abinde tument —.

Sic & ROEDERER ***). ita habet: „Neque etiam tumoris sugillationisve in capite præsentia violentam matris manum denotat. Ejusmodi errorem a medicis, (qui Physicorum titulo civitatum populorumque curam gerunt) Elogia Medica, quæ vocant, subministrantibus judici, in miserarum detrimentum vitæque periculum, commit-

*) ib. §. 480.

**) Anthr. For. p. 336.

***) de suffocatis p. 303.

mitti aliquoties animadverti. Putant enim, omnem in infante ſugillationem omnemque livorem illatæ violentiæ indicia præbere. Capitis ſugillationes tumoresve vivum ſolummodo infantem ſub partus initium fuiſſe declarant, incertum autem relinquunt, utrum in ipſo partu tumor natus fuerit, an a violenta matris poſt partum manu; quamvis illud multo ſit frequentius, multoque, ſi unicam regionem tumor fœdat, veroſimilius. Raro fetus naſcitur, in quo omnis a capite tumor abſit.„

§. 159.

In datis autem caſibus, cum Defenſores ejusmodi ſemper & ubique prætexere poſſint, veritatem facti diſcernere, omnino difficile, attamen partus, ſi facilis fuit, eas excuſationes enervat: Saltem anguſtia pelvis, laborioſus & diuturnus partus probari & demonſtrari debet, & violentiæ iſtæ aliorum veſtigiorum ex applicatione corporum durorum, acutorum, (quamvis & hæc caſus interjicere poſſit), unguium injectorum &c. immunes & expertes eſſe debent: Figura impreſſa corporum nocentium hæc etiam prodere poteſt.



§. 160.

Eſt & aliud excuſationis genus, quod nonnullæ accuſatæ proferre ſolent, aſſerentes, partum tam celeriter proceſſiſſe, ut infans ſtantibus vel ſedentibus elapſus fuerit, adeoque ſolo, aliisve corporibus duris illiſum caput omnino violentiam paſſum ſit ſine omni ipſarum culpa: Poſſibilitatem hujusmodi facti concedere omnino debemus, ſaltem ubi pelvis valde ampla, & infans ejus reſpectu minutus fuerit: Funiculus umbilicalis ſimul aut rumpitur, aut tam longus eſſe debet, ut infantis caput tamen terram vel ſolum attingere potuerit, vel, & ſi placenta ſimul ſoluta prodierit, tum partus omnino in terram prolabi poteſt.

Quantum vero hujusmodi aſſertis veri inſit, an & quatenus culpa dolusve concurrerit, id quidem, cum ex phyſicis datis erui nequeat, Jureconſultis diſcernendum relinquimus.

§. 161.

Pari fere modo ſe habent læſiones medullæ ſpinalis; occurrunt hîc luxationes ſpinæ, fracturæ vertebrarum, & vulnera, in ipſam medullam penetrantia:

Luxa-



Luxationes ſe habent ut violentiæ §. 158 & 160, cum & in partu difficili & diuturno, nec non ex præcipitatione in terram obvenire queant *).

Fracturæ autem non itidem ex caſu facile accidunt, ſed tantum non ſemper ſtudio factæ videntur.

Sic & vulnera, præſertim acubus inflicta, quæ nonnunquam inſidioſe in medullam ſpinalem intruſa reperta ſunt, absque dolo vix concipi poſſunt. Plena autem horum evictio iterum Jureconſultis relinquenda.

§. 162.

Reliquæ læſiones mechanicæ conſiderandæ ſunt ſecundum regulas generaliores.

§. 163.

Præter hæmorrhagias ex vulneribus, quæ neonato cum adultis communes ſunt, ille adhuc aliam letalem experiri poteſt, puta eam, quæ ex vaſis umbilicalibus contingit, cum funiculus ſolvitur, & vaſa aperta nullo modo ſtringuntur.

 Con-

*) Fiſcher Diſſ. (Praeſ. Schoenmetzel) Sectio anatomica inſufficiens in imputando infanticidio inſtrumentum p. 22. Roederer l. c. §. 389. lit. γ.



Contra hoc mortis genus, ejusque possibilitatem plura argumenta prolata sunt, quæ SCHULZE *) & SCHAEL **) collegit, quorum præcipua huc redeunt:

a) Quis primam matrem docuit, funiculum deligare?

Responsione seria indigna quæstio.

b) Bruta funiculum non deligant, nec tamen hæmorrhagia pullos, vitulos, catulos enecat, ergo deligatio non necessaria est.

Resp. Bruta funiculum dentibus solvunt post longam masticationem, qua fit, ut sanguis interea coaguletur; Dein laciniæ ex masticatione obortæ retrahuntur & lumina obturant; Hæc quidam negat SCHAEL, & contendit, pulsum arteriarum umbilicalium mox post partum cessare, adeoque ex hac ratione hæmorrhagiam vehementem oriri non posse: Et ROEDERERUS catellis neonatis funiculum umbilicalem prope umbilicum ab-

*) Diss. An umbilici deligatio in nuper natis absolute necessaria sit?

**) Diss. ejusdem argumenti. Goett. 1755.

abſcidit absque hæmorrhagia: Verum a brutis ad hominem non valet conſequentia, & quod motum ſanguinis in arteriis umbilicalibus attinet, equidem pulſum in deligato funiculo poſt horam integram elapſam adhuc manifeſte ſenſi.

c) Cum pulmones per reſpirationem amplientur, multoque plus ſanguinis recipiant, impetus ſanguinis in arterias umbilicales minor erit.

Reſp. Omnino, verum reliquus impetus ſemper adhuc ſufficiet ad hæmorrhagiam letalem.

d) Situs fœtus in utero ita comparatus erat, ut ſanguis fere recta in arterias umbilicales propelleretur, poſt partum autem, extenſo infantis corpore, angulus, quo illæ ex hypogaſtricis prodeunt, obtuſus fit, adeoque reſiſtentia major fluento ſanguinis oppoſitus, unde hic non amplius tam expedite in eas pervenire poteſt.

Reſp. Conceſſis his omnibus, poſſibilitas hæmorrhagiæ letalis tamen non ceſſat: Dantur plures arteriæ in corpore humano ſub ejusmodi angulis, quæ tamen absque vitæ periculo lædi non poſſunt; præterea infans poſt par-



tum incurvatum ſitum recuperare amat, ſi quidem nîl obſtat.

e) Cum funiculus umbilicalis poſt partum aëri exponitur, ſanguis in eo brevi coagulabitur, & vaſa obturabit.

Reſp. Si aër ſanguinem non immediate tangit, difficilius congrumatur, attamen & conceſſo illo aſſerto, interea hæmorrhagia accidere poſſet: Fateor, difficilius id fieri per funem longius ab umbilico reſectum, & difficilius per abruptum, quam reſciſſum, ob retractionem vaſorum, & formationem fimbriarum & laciniarum *).

f) Naturalis vaſorum contractio hæmorrhagiam ſiſtet.

Reſp. Arteriarum lumen manet apertum.

g) Funiculus umbilicalis per annulum aponevroticum, ex muſculis abdominis obliquis oriundum ſtringetur **).

Reſp. Umbilicus nimis amplus eſt: Obſervatio, lc. p. 12 allegata nîl probat, cum funiculus tum

*) Cf. mea Diſſert. de amputatione incruenta.

**) Schweikhard de non neceſſaria funiculi umbilicalis deligatione arg. 1769.

tum demum ſolveretur, cum pulſus non amplius aderat.

Quid plura? Quotidiana obſervatio docet & poſſibilitatem & realitatem ejusmodi letalium, per funiculum umbilicalem contingentium hæmorrhagiarum, non modo brevi poſt partum, quin & aliquot dies poſt eum *), adeoque, etſi debilis forte infans iſti periculo non æque expoſitus eſt, tamen robuſtior ita perire omnino poteſt.

§. 164.

An vero exploratus infans hac morte, ſcilicet hæmorrhagia perierit, ex funiculo umbilicali deligato vel non deligato hariolari aliâs ſolent; id quod autem in neutram partem ſufficit, cum non modo doloſa infanticida poſt effuſum ſanguinem eum deligare poſſit, ſed & infans, non deligato licet funiculo, alia morte obire potuerit.

§. 165.

Hinc ſola κενεαγγεια, anæmia, ſeu defectus ſanguinis in vaſculoſo, præcipuè venoſo ſyſtemate decidit. Conſideranda autem ſimul ſunt:

Con-

*) De Haller Elem. Phys. T. VIII. p. 443.

Conditio funiculi umbilicalis: Si enim hic admodum marcidus, contractus, corruptus esset, tum fœtus in utero jam anæmia laborare potuisset.

Habitus integri corpusculi: Si hoc plenum, perfectum reperitur, tum anæmia antea non aderat, secus, si contrarium obtinet.

Præcipue lustranda sunt venæ cavæ, venæ pulmonales, & atrium cordis dextri. Arteriæ enim & cor vacua esse possunt absque anaemia. Miror, BÜTTNERUM *) dicere: Wenn das Herz und die grosse *Puls*-und Blutadern mit Blut gut angefüllet sind. u. s. w.

Viscerum pallor quoque concurrit, & vacuitas vasorum funiculi umbilicalis, quæ suum quoque symbolum confert ad demonstrandam anæmiam.

§. 166.

Hæc, si ex hæmorrhagia per funiculum umbilicalem consecuta est, quod ex absentia aliorum læsionum concluditur, nondum demonstrat delictum vel commissorium vel omissorium a parte matris: Etenim præter mox memoratas circumstantias §. 165 fœtus in ipso partu eam perpeti potest, cum aut placenta nimis citò soluta metrorrhagiam cum

*) Vom Kindermord. S. 88.

gignit, unde infans ſimul exhauritur *), aut funis umbilicalis disruptus eſt **). Pro veritate harum poſteriorum circumſtantiarum militant & partus diuturnus laborioſus, & ipſius matris anæmia, ſcilicet ex pallore inſigni, pulſu debili & ejusmodi noſcenda. His autem aliter ſe habentibus, ſuſpicio culpæ dolive enaſcitur.

An deliquium puerperæ, quo durante infans forte per abruptum funiculum umbilicalem liquido vitali exhauritur, excuſet, judicent Jureconſulti.

§. 167.

Circulus ſanguinis quoque ſiſtitur, „et, ut TEICHMEYER ait ***), infans interire debet, ſi „non ſtatim á placenta uterina liberatur, nam ſan„guis refrigeratur. Idem teſtatur HEBENSTREIT †) „Funiculus abſque naſcentis periculo, nec indivul„ſus, & placentæ uterinæ continuus, neque ubi „præſectus fuit, ſine deligatione diu manere pot„eſt. — Et HALLERUS ††) „Fœtum a matre ſol„vi oportet. Etſi enim aliquando fœtus aliquo tem-

*) Roederer. Elemen. art. obſtetr. §. 389. lit. a.

**) ibid. lit. c.

***) Inſt. Med. For. p. 243.

†) l. c. p. 417.

††) Elem. Phyſ. T. VIII. p. 441.



„tempusculo vixit, cum placenta connexus, quæ „in matre mansisset, non tamen fœtus ipse absque „periculo sanguinis ab aëre allapso coituri effecta „exspectaverit.

Hæc autem possibilia non sunt, nisi placenta una cum fœtu prodierit, nec aliter licet obscure explicari potest mors infantis, nisi ex propagata per funiculum umbilicalem coagulatione sanguinis: Hic casus difficillime cognoscitur, si forte funiculus post mortem infantis ita subsecutam solveretur & ligaretur: Nulla enim signa adessent aut illatæ violentiæ, aut alia, quibus hoc mortis genus ab eo, quod ex debilitate & ejusmodi sponte sequitur, discerni posset.

§. 168.

Suffocatione, quorsum submersio & strangulatio pertinent, (vid. supra Sect. I. Cap. IV. §. 45. s.) infantes post haustum aërem quoque perimi solent:

Signa ejus ib. §. 66. s. tradita sunt. Difficile autem omnino judicium est hujus rei, in infantibus magis, quam in adultis, quia

a) ipsa suffocationis signa per se ambigua sunt,

b) spontaneæ suffocationes §. 149. similia fere signa exhibebunt, ac violenta:

c)

c) altera ex parte ſigna aliqua deficere poſſunt, ut turgor vaſorum cerebri, prout ex obſervatione Roedereri *) patet.

d) facile quis aquam ſeu lympham rubellam in thorace & pericardio, ſi non pro effuſo ſanguine, tamen pro effectu ſuffocationis vel aliarum violentiarum ſignis habere poſſet, quæ autem teſte Hallero**) ſecundum naturam thoraci & abdomini inſunt. „In Anſehung der innern Ergieſſungen, ait, darf „man ja nicht vergeſſen, daſs ſich in der „Bruſt und in dem Unterleib eine groſſe „Menge roetlicher Lymphe befindet, und „ſich in den ſchlaffen Schlagadern der vapor „abdominalis in ſo groſſer Quantitæt erzeugt, „daſs er durch ſeine röthlichte Farbe ſehr „oft verleiten kan, ihn für Blut zu halten.

Signa ergo ſuffocationis in caſu dubio non modo collective conſiderari, ſed & eminentiori gradu adeſſe debent, ſi quidem de illa facta enunciare quis velit. Ipſa proinde ſubmerſio, vel projectio in aquas, cœnum &c. ſuffocationem vivi per ſe

*) De ſuffocatis p. 294.

**) Vorleſungen &c. p. 11.



ſe nondum probat, cum & naturali morte defunctus aquis condi poſſit: In tracheam redundata corpora fluida vel ſemifluida, quibus immerſus forte fuit infans, omnino ſtrictius hoc mortis genus probant. Aqua tamen abs liquore amnios, qui nonnunquam penetrat, probe diſtinguenda.

§. 109.

Quod ſpecialiter ſtrangulationem attinet, ſeu compreſſionem colli vel tracheæ, per corpus tenax vel durum, ut funem, manum & ejusmodi; ejus ſigna pariter ſupra recenſita ſunt.

Notandum hic eſt, infantem ſub partu etiam absque culpa matris ſtrangulari poſſe. Corpora ſtringentia ſunt aut uteri orificium, quod elapſum jam collum prehendit & ſtringit. Novimus, carpum embryulcorum ab eo ſæpe ad ſtuporem uſque comprimi, idemque accidere poſſe collo infantum pariendorum, evincit obſervatio Roedereri *) recenſentis: „Matris perineum & reliquæ pudoris ſinum quæ ambiunt carnes nimis rigidæ capitis grandioris lapſum retardarunt. Interea temporis in capite tumor excrevit, caput in oblongam ſphæram compreſſum eſt, & os uteri ſummopere elaſticum, velut laqueus quidam, pueri collum magna

*) De ſuffocatis p. 292.

na vi compreſſit. Neque valde miratus ſum. Eo enim temporis momento, quo infantis caput per oris uterini aperturam penetravit, deterſum penitus, ceu alias fieri ſolet, non fuit, ſed ejusdem limbus, durus rigidusque, ad vaginæ parietem repreſſus, poſtquam caput deſcendit ſolumque collum reſtitit, reſilire, totum orificium ſecum trahere molliſſimumque pueri collum conſtringere cœpit. Per quinque omnino horæ minuta prima caput, donec totus ſinus dilatatus fuerit, in ſinu hæſit: dilatato dein ſinu, ut caput, corpuſculumque protraherentur, inſignis, cum operatoris defatigatione, vis adhibenda erat. Conſtrictum uteri orificium ſine dubio reſtitit. Solutus a matre puer nihil vitæ, nec cordis pulſu, nec thoracis agitatione & reſpiratione, nec palpebrarum aliarumque partium motu probavit. Sub initium autem partus vixiſſe, ex capitis tumore, diaphragmatis artuumque, cum puer irritaretur, convulſione & motu, quem in utero, antequam in vaginam puer depulſus fuerit, mater ſenſit, reſcivi. „

Ipſam quoque vaginam poſſe periculoſam ſtricturam efficere teſtatur Idem *) „ſi conſideremus, vaginæ orificii ſtricturam illam, ceu artis periti nôrunt, frequentiorem non minus, ac alteram,

quæ

*) l. c. p. 299.



quæ ab uteri orificio fit, nisi natum caput auxiliaris manus prehendat, celerique motu integrum corpusculum extrahat, periculosam esse: infantis sine matris culpa doloque in clandestino partu sæpius perire, non amplius demirabimur.„

Porro & funiculus umbilicalis, collo infantis circumvolutus eum strangulare potest.

In his omnibus casibus vestigia potentiæ prementis circa collum apparebunt, linea livida, rubra, sugillata illud magis minus perfecte cinget: An ergo hæc fune manuve injectis, an vero mox enarratis modis formata fuerit, difficile judicatu est, nisi forte excoriationes cutis in collo accesserint, quæ indicarent, vim prementem non fuisse læves matris partes, vel funiculum umbilicalem, sed potius funem, manum unguibus armatam, vel ejusmodi. Dein orificium uteri, vagina & funiculus æquabilem sugillationem efficient, manus non itidem, nec quoad figuram, nec quoad profunditatem. His non prælucentibus, anceps erit judicium physicum, Jureconsulto reliquum enucleandum relinquens.

§. 170.

Omne genus veneficiorum tenellos æque, & facilius adhuc interimet, quam adultos. Inprimis halituosa, suffocantia venena hîc in censum veniunt.

§. 171.

§. 171.

Potentiæ mere phyſice nocentes pariter valentius in neonatos agunt, quam in alios; Ita calor ingens, ignis ipſe, præcipué autem frigus, ſive aëris ſive aquæ, ſive aliorum corporum, nudo infantum corpori, ex calidiori medio advenientium applicitum eos trucidabit: Maxime fontanella, utpote is locus, ubi cerebrum impreſſiones ab externis magis ſentit, absque periculo vehementer refrigerari non poteſt. Mauriceau *) mentionem facit infantis, cui presbyter nimiam frigidam fontanellæ infuderat, & qui non ſubito quidem, verumtamen paucos dies poſtea obiit. Et Anhorn **) infantem allegat, cui manus pedesque frigidæ immergebantur, & qui brevi exinde mortuus eſt. Signa horum mortis generum, Sect. I. Cap. IV. §. 137 - 140 recenſita ſunt, fatendum autem, ea non ſemper evidentia eſſe, multosque ejusmodi caſuum in ſuſpenſo manere.

§. 172.

Denique infantes neonati, queis ſæpe omnis cura vitam redimere nequit, omnino multoties pereunt

*) Obſervat. ſur la groſſeſſe & l'accouchement T. II. Obſ. 422.

**) Eph. N. C. Dec. III. A. 1. obſ. 86.



eunt ex omiſſione debitorum auxiliorum, quibus iſti ſaepius egent, maxime cum mucus fauces obſtruens removendus, vel ſpiritus inflandus, vel frictionibus, ſpirituoſis, clysmatibus, ſanguinis miſſione ex funiculo &c. ſtimulus viribus vitalibus admovendus eſt.

Cum autem mors ex omiſſione auxiliorum ab inevitabili morte ſpontanea nullis plane ſignis ſe prodat, & praeterea non facile conſtet, an ignorantia, negligentia, dolusve interſit, iſtud mortis genus vix unquam evincetur.

§. 173.

Notandum quoque, dari mortis genera compoſita, quibus neonati eo certius faciliusque ſuccumbent, quando vita eorum a pluribus hoſtibus ſimul invaditur. Ita v. c. infans, ex haemorrhagia debilitatus facilius ſuffocabitur, aliamve mortem eo certius ſubibit. Haec accuſatam modo gravant, modo excuſant, prout concurrentes poteſtates noxiae ab illa dependebant, vel non.



SEC-

SECTIO III.


DE

EMBRYOCTONIA.



CAP. I.

DE EMBRYOCTONIA IN GENERE.



§. 1.

Fœtum in utero contentum occidere, vel abortum procurare, utrumque voce embryoctoniæ, (vel, si vocabula latina creandi facultas nobis esset), feticidii intellectum volo.

§. 2.

Quid abortus sit, Sect. II. Cap. I. §. 66. dictum est.

§. 3.

Fœtus in utero diversis ex morbis matris, vel propriis ipsius mori, aliisque casibus funestis affici,

 nec



nec non absque omni culpa ante impetratam maturitatem ejici poteſt.

§. 4.

Eadem vero etiam ſtudio, culpa dolove evenire poſſunt: Apud Romanos ejusmodi facinus diu impune fuiſſe videtur, licet ex teſtimonio Juvenalis *) frequentiſſimum:

Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto,
Tantum artes hujus, tantum medicamina poſſunt,
Quæ ſteriles facit, atque homines in ventre necandos.

Etiam hodie apud gentes aliquas impune tolerari dicitur; Nobis autem omnino criminalis Jurisprudentiæ objectum eſt, & inter delicta numeratur.

§. 5.

Committitur hoc aut ab ipſa gravida, aut ab aliis.

CAP.

*) Sat. VI.

CAP. II.

De Embryoctonia in specie.

§. 1.

Embryoctonia committitur aut per necem fetus in utero adhuc restantis, aut per procurationem abortus: Etenim si abortus etiam vivus excluditur, tamen ipsi ceu non vitali necessario moriendum est.

§. 2.

Occisio fetus in utero est aut immediata, aut mediata.

§. 3.

Ad immediatas pertinet ejus vulneratio ope instrumenti acuti per orificium uteri, vel per ipsum uterum adacti. Fieri hæc potest per omnem graviditatis decursum, maxime & posterioribus mensibus, cum uteri orificium magis hiat, facinus ab infanticidio vix, quin &, si in ipso partu committeretur, ne vix quidem distinguendum, nisi qnod vita infantis ante respirationem stricte demonstrari non posset. Possibilitatem hujus rei, quin, ut ita dicam Praxin jam Ovidius *) noverat, qui ita:

*) Amorum L. II. Eleg. XIV.



Veſtra quid effoditis ſubjectis viſcera telis,
  Et nondum natis dira venena datis?
Hæc neque in Armeniis tigres fecere latebris,
  Perdere nec fetus auſa leaena ſuos.
At teneræ faciunt, ſed non impune, puellæ,
  Sæpe ſuos utero quæ necat, ipſa perit.

Miror, doctiſſimum HEBENSTREITIUM *) locum ex TERTULLIANO hûc traxiſſe, qui eò pertinere non videtur, cum ait: „Impia contra fœtus „vitam machinatio illa eſt, qua peſſariis ex acri „medicina confectis, uteri oſtium vellicatur. Quale iſtud inſtrumentum fuerit, quod apud TERTULLIANUM legitur, certo non liquet —.

Ita autem habet TERTULLIANUS **) „At quin & in „ipſo adhuc utero infans trucidatur neceſſaria crudeli„tate, quum in exitu obliquatus denegat partum, matri„cida, ni moriturus. Itaque & inter arma Medicorum „& organon eſt, quo prius pateſcere ſecreta cogun„tur tortili temperamento, cum anulo cultrato, quo „intus membra cæduntur anxio arbitrio, cum he„bete unco, quo totum facinus adtrahitur violento

puer-

*) Anthrop. T. p. 381.

**) De anima. cap. 25.

„puerperio. Eſt etiam æneum ſpiculum, quo ju„gulatio ipſa dirigitur cæco latrocinio: ἐμβρυο„σφακτην appellant de infanticidii officio, utique vi„ventis infantis peremptorium. Hoc & HIPPO„CRATES habuit, & ASCLEPIADES, & ERASI„STRATUS, & majorum quoque proſector HERO„PHILUS, & mitior ipſe SORANUS, certi, animal „eſſe conceptum, atque ita miſerti infeliciſſimæ hu„jusmodi infantiæ, ut prius occidatur, ne viva la„nietur.

Unde manifeſto patet, inſtrumentum illud plane non doloſum fuiſſe, ſed ad artis promtuaria pertinuiſſe.

Auſum hoc vero, ut fere OVIDIVS jam dixerat, non bene ſemper ſuccedit; Ita BRENDEL *) ancillam memorat, quæ ſtilo acuto & fetum & uterum ipſum vulnerans exinde periit; ſimilem habet HEBENSTREIT **): „Tali inſtrumento uſa eſt „impia obſtetrix, apud GUIDONEUM PATINUM, „Philoſophum & Medicum in literis ſuis gallico „idiomate conſcriptis Epiſt. 191. & ſeq. Tom. I. „ad Dom. FALCONET A. 1660 ſcripta ed. Paris. „1692. propterea ſuſpendio punita, quæ perforato

„fœ-

*) Eph. N. C. Cent. IV. obſ. 167.

**) l. c.

„fœminæ gravidæ per idoneum inſtrumentum ute-„ro, fœtum enecaverat, abortum procuratura, aſt „ſucceſſu tam infelici, ut correpta convulſionibus „mater abinde exſpiraverit, ipſa nefanda muliere, „ſe plurimos fetus hac ratione, ſalvis matribus „extinxiſſe, confeſſa. — Et HALLERUS *) „In Ita-„lien, ait, als wo die Bosheit ſinnreicher iſt, denn „nirgend, haben die geilen Dirnen den Gebrauch, „wenn ſie an ſich Zeichen der Empfængniſs wahr-„nehmen, mit einer Haarnadel, die ſie durch den „Muttermund in den Uterus zu bringen wiſſen, „den Fœtus zu tödten. Die Sache iſt an und für „ſich mehr als mœglich, und unter allen Arten „des Kindermordes iſt dieſe gewiſs für eine der „ſtrafbarſten zu halten.

Signa violentiæ inflictæ in his caſibus apparebunt.

§. 4.

SCHURICIUS **) ex Ludovico Bonaciolo de format. fœtus affert exemplum fœtus, in matris „illæſæ utero a fulmine occiſi, quod Martia Roma-„norum Princeps, utero gravis, claro fulmine icta, „exanimato partu ipſa incolumis citra ullum in-„commodum vixerit; „Unde pronum eſt colligere, for-

*) Vorleſungen. &c I. B. p. 148.

**) Embryol. p. 233.

fortiores ictus electricos idem efficere, & sic fœtum in utero dolose vel culpose interimi posse, cujus autem rei vix ac ne vix quidem signa dabuntur.

§. 5.

An fœtus utero contentus violentiis, abdomini gravido illatis, ut ictu, pressione, calcitratione enecari possit, nondum certo constat, á gravioribus tamen, uterum omnino simul lædentibus id evenire posse, vix dubitandum. Sic & Gaubius *) ait: „Nec fœtus etiam uterinus a violentiis mechanicis plane immunis est.„ Signa itaque hîc ex ipsa matre, vestigia harum læsionum ferente, petenda erunt.

§. 6.

Veneficium, quo gravida quidem non perit, tenerum embryonem tamen enecare posset, quod ab iis maxime venenis expectandum, quæ massam humorum inficiunt.

§. 7.

Ad mediatam embryoctoniam facit subtractio humorum nutrientium, ex matre in fetum transientium:

Hæc

*) Instit. Pathol. med. §. 599.



Hæc nonnunquam locum habet,

a) ſi copioſi ſanguinis per venas ſectas jactura ſit,

b) Si denuò prægnans alium infantem diu nimis lactat, vel alio modo hunc humorem largiter perdit, teſte GAUBIO *) qui „Lactis excretionem, nutricis viribus majorem, „ſubducto corpori nutrimento — utero gra„vido abortum creare, affirmat.

c) ex inedia, ſtudio forte diu protracta.

d) ex ſalivatione, ope mercurii excitata.

§. 8.

Hæ omnes autem methodi etiam gravidam peſſumdant, adeoque raro tentantur.

§. 9.

Frequentior eſt procuratio abortus, cum fetus, ſive adhuc vivus, ſive jam mortuus ante tempus vitalitatis ex utero expellitur.

§. 10.

Quicquid nexum inter uterum & ovum turbare & tollere valet, id etiam abortum creare poterit.

§. 11.

*) ib. §. 564.



§. 11.

Huc pertinent validæ concuſſiones mechanicæ, ſive directe in abdomen illatæ, ſive hoc una cum univerſo corpore afficientes, quales ſunt ictus, verbera, alliſiones, lapſus, & ejusmodi.

§. 12.

Hujus cenſus ſunt quoque vomitus vehementes, ſternutationes, ſive ſponte, ſive arte excitatæ; In utroque caſu diaphragma abdomen valide concutit, adeoque & uterum.

§. 13.

Pari modo agunt tuſſis, niſus, clamores. Hoc jam HIPPOCRATES *) agnovit, cum dicit: *πολλοι δε και ἀλλοι εισι κινδυνοι, ἐν ὁισι τα ἐμβρυα φθειρονται, ἠν ἡ ἐν γαςτρι ἐχουσα — κεκραγῃ.*

§. 14.

Similiter & concuſſiones corporis per ſaltus huc trahuntur, ex hiſtoria illa, in libro HIPPOCRATICO **) enarrata, ubi auctor, ſive HIPPOCRATES, ſive alius ita habet: *και μεν ἑξ ἡμερας μεινασαν*

*) *γυναικειων ά.*

**) *περι φυσιος παιδιου.* p. m. 236.



σαν ἐν τῃ γαςρι γονην, και ἐξω πεσεσαν ἀυτος ειδον —. γυναικος οικειης μεσοεργ ς ἠν πολυτιμος παρ ἀνδρας φατευσα, ἡν εκ ἐδει λαβειν ἐν γαςρι, ὁκος μη ἀτιμωτερη ἐη —. και πως ὡς ἠσθετο εκ ἐξιεσαν την γονην, και ἐφραθε τῃ δεσποινῃ, και ὁ λογος ἠλθεν ἑως προς ἐμε. και ἐγω ἀκεσας ἐκελευσαμην ἀυτην προς την γην πηδησαι, και ἑπταιη ἠδη ἐπει ἐπηπηδητο, ἡ γονη καταῤῥυη ἐπι την γην, και ψοφος ἐγενετο.

Quæ quidem ſcandaloſa nobis hiſtoria ut abs aliis diverſo modo narrata eſt, ita ab aliis in dubium vocatum fuit factum, & ab ipſo HALLERO *). Mihi veroſimile videtur, principiisque medicis tantum non contrariatur, ut potius & ſaltatio á GAUBIO **) inter cauſſas abortionis numeretur.

§. 15.

Jctus electrici uterum quoque valide percutere poſſunt, etſi fetum non necant mitiores.

§. 16.

Dubia fides erit relationi ARNOLDI MONTANI ***) qui in der Japoniſchen Geſandſchaft — ita:

*) Vorleſungen l. c. p. 149.

**) l. c. §. 829.

***) v. Schurig. Embryolog. p. 382.

ita: „Die Weiber, ſo vor dem ſieben und dreyſ-
„ſigſten Jahre ſchwanger werden, tœdten ihre Lei-
„besfrucht anf eine abſcheuliche Weiſe. Sie legen
„ſich auf ihre Schlafſtette nieder, und die herzu-
„geruffene Prieſterinnen druken und treten ſo lan-
„ge auf ihren befruchteten Leib, bis die Frucht
„nicht ohne erſchrekliche Schmerzen abgehet. Geor-
„ge Camdius, evangeliſcher Prediger auf Formo-
„ſe, erzehlet, daſs er eine Frau gekannt habe,
„welche ſechzehn Kinder auf ermeldte greuliche
„Weiſe los geworden, und nun mit dem ſieben-
„zehenten ſchwanger gegangen: welches ſie zur
„Geburt kommen laſſen, weil ſie die Jahre errei-
„chet, da ſie ohne Schande gebæhren mœgen —.

Poſterius aſſertum fidem hiſtoriæ demit, cum fœmina tot tantasque violentias ſalva vita pati vix queat.

§. 17.

A concuſſione differt preſſio, utpote mitius agens; valet autem nihilominus nexum illum inter matrem & fetum ſolvere, adeoque abortum efficere.

§. 18.

Huc referendus eſt niſus omnis violentus cum cohibitione ſpiritus, in bajulatione, elevatione pon-
derum,



derum, tractione, lucta, extensione artuum, excretione urinæ & alvi intensa, tenesmo. Hinc purgantia drastica ex parte hoc modo agunt.

§. 19.

Angustiores cataphractæ, fasciæ abdomen stringentes, assulæ ligneæ, ferreæ similem noxiam pressionem exerunt *).

§. 20.

Praeter has violentias mechanicas major versus uterum congestio sanguinis eundem nexum quoque solvere potest: Haec oritur aut ex orgasmo universali, aut ex valentiori determinatione versus vasa uterina.

§. 21.

Orgasmus varie excitatur, concurrente praecipue plethora vera; maxime hic in censum veniunt exercitationes corporis immodicae, quae subinde cum concussionibus corporis junctæ esse solent.

§. 22.

Dein hoc modo operantur varia calefacientia, titulo cibi, potus, medicamenti, veneni ingesta, quibus

*) Schurig. l. c. 380. & Act. Med. Berol. Vol. IV. 95.

bus ex errore ſpecifica vis abortiva tributa fuit; quatenus autem ſanguinem etiam in vaſis uterinis commovere poſſunt, tam ad emmenagoga, quam abortiva pertinent.

§. 23.

Operantur per oleoſa & ſalina acria principia, quibus in ſanguinem penetrant, eum expandunt, inſtrumenta circulationis ſtimulant, & ſic febrem quaſi artificialem cient: Effectus eorum eo eminentior erit, quo magis plethoricum & irritabile ſubjectum offendunt.

§. 24.

Cum autem actio pharmacorum á doſi, quâ propinantur, repetitione, tempore, combinatione cum aliis, tam chirurgicis, quam diæteticis inſtitutis pendeat, hæc omnia inquiri & perpendi debent, antequam judicium de ejusmodi remedio abortivo feratur, an egerit quà tale, nec ne?

§. 25.

Nomen hoc tuentur adhuc:

Ariſtolochia rotunda & longa.

Radix.

Artemiſia vulgaris & abrotanum



Herba.

Melissa officinalis

Herba.

Mentha pulegium

Herba.

Ruta graveolens

Semen. Herba.

Juniperus Sabina

Herba. Oleum.

Quod posteriorem attinet, ejus libera dispensatio pharmacopolis quoque interdicta est ut &

Lauri nobilis, cujus

Baccæ potissimum oleo calido scatent.

Singularis passus occurrit in HALLERI Elem. Phys. *) ubi ita:

„Memini obtigisse mihi puellam curandam, „quæ & diu, & maxima dosi sabinæ infusæ usa, „ne die quidem partum tardavit, etsi tussim sibi & „hæmoptoen malo medicamine movit —. Non tardasse partum mirum non est, potius mirandum, eum exinde non acceleratum fuisse.

Crocus sativus

Filamenta.

Ferrum, cui ex parte rubor adscribendus videtur, cum cujus intensiori gradu etiam compactio

*) T. VIII. p. 428.

pactio sanguinis, gravitas major & densitas pari passu ambulare videtnr *). Hanc sanguinis constitutionem impetus majoris in vasis capacem esse, existimo.

Hebenstreit **) hæc omnia abortum movere posse, negat, ipsique sabinæ eam vim abjudicat, cum tamen calefacientia hoc titulo nocere posse, concedat.

§. 26.

Præter hæc, resinæ, balsama, aromata, olea destillata, & quæ ex his componuntur, medicamenta, vinum, spiritus vini, opium, Coffea huc referri debent. Sic & Bromelia ananas, validum abortivum esse dicitur, cujus vis si quidem res ita se habet, ex acribus ejus particulis ***) deducenda erit.

§. 27.

Congestionem particularem versus uterum efficiet quoque:

Relaxatio vasorum, utero vicinorum, qua fit, ut major copia sanguinis in omnem viciniam, adeoque & uterum ruat;

 Quor-

*) de Haller. pr. lin. Phys. §. 177.

**) l. c. p. 377.

***) Zukert. mater aliment. p. 225.



Quorſum faciunt: pediluvia, balnea calida, cataplasmata emollientia, uteri viciniæ impoſita; quod affirmat HALLERUS *) cum ait: „Derivationis vis tanta eſt, ut contra ponderis reſiſtentiam, contra legitimum iter, ſanguis undique ab omnibus venis in locum laxatum quocunque ſub angulo apertis, aut per alios ramos cum illo conſentientibus, ſe in vulnus conjiciat —. Ex ea celeritate ſanguis etiam ab arteriis venæ inciſæ ſociis averſus, in eas violentius convertitur. Huc pertinet omnis humorum confluxus ad eas partes, de quibus reſiſtentiam ſubtraximus ope pediluviorum, emollientium cataplaſmatum.„

Porro clysmata emollientia; propius in vaſa uterina operantia.

§. 28.

Alio paullum modo venæſectiones in pede inſtitutæ agunt, quarum vim derivationis, etſi adeo potens non eſt, etiam de HALLER **) agnoſcit: Plus efficient hirudines ad labia vulvæ applicitæ ***)

§. 29.

*) Elem. Phyſ. T. II. p. 328.

**) ibid.

***) Janin. v. Richter Chir. Bibl. II. 1. p. 123.

§. 29.

Mechanica determinatio majoris impetus ſanguinis ad methodum Hamiltonii *), quæ in compreſſione arteriarum cruralium conſiſtit, huc quoque referenda eſt.

§. 30.

Similiter fere aget equitatio, partim concutiendo, partim majorem ſanguinis vim ad uterum determinando.

31.

Omnis ſtimulus, ſive his partibus immediate applicitus, ſive vicinis, ſanguinem quoque invitabit, & fortius irruere faciet, nec non irritando, ſpaſmos ciendo, uterum ad contractiones laceſſibit: Horum ſpaſmorum aliqui idiopathice, alii ſympathice provocabuntur.

Huc numeranda ſunt:

Frictiones, partium genitalium externarum, internarum, vicinarum

Cucurbitulæ ſiccæ, femoribus & abdomini applicitæ.

*) Edimburg Verſuche II. B. p. 456.

Purgantia & clyſmata draſtica, ut aloë, jalappa, colocynthis, ſcammoneum, grana tiglia & ejusmodi.

Nec minus diuretica acria, cantharides &c. Ita SCHROEDER *) ait: „Improba ſcorta cantharidibus fœtum tenellum perimunt & exſtinguunt.„

Concurrit apud hæc utraque preſſio in abdomen facta.

Validum frigus, quod humores & ſanguinem á ſuperficie ad partes internas pellit, quale exemplum allegat MURALT **).

Corpora acria, ſive ſolida, ſive fluida uteri cervici & orificio applicita, ut ſales, aromata, olea deſtillata, balſama, alia acria, ut cantharides &c. quod HIPPOCRATES jam agnovit ***) dicens: χωριον ἠν μη δυναται ἐκβαλειν πιπισκων -- και την κανθαριδα προςιθεναι, τȣτο δε και το ἐμβρυον ἐξελαυνει.

Coitus

*) Theſaur. Pharmacol. L. V.

**) Eph. NC. Dec. II. A. I. obſ. 116.

***) Περι γυναικειης φυσιος.

Coitus petulantior, frequentior *), ubi cooperatur pressio.

§. 32.

Turbæ universi systematis nervosi, uterum in consensum trahendo pariter contractionem ejus præmaturam producent, fetumque expellent. Illæ autem producentur per:

Venena varia,

Sanguinis profusiones enormes, matri quidem ipsi periculum minantes.

Perturbationes animi vehementiores, ut iram, metum, mœrorem, terrorem, qualia exempla passim apud observatores, præsertim Fabricium Hildanum reperies.

Diuturnas vigilias **),

Odores tetros, ut ab exstincta candela sebacea,

Nauseam, quorsum referas abortum fœminæ, oleum lini gustantis ***).

Imaginationis depravationem, & intentionem nimiam: Memorabilem hujus rei historiam habet Fortunatus Fidelis ****), dicens:

 „No-

*) Mannigham l. c. p. 81. Gaubius l. c. §. 829.

**) Burnet. Thesaur. Pract. T. I. p. 6.

***) Hagedorn in Eph. N. C. Dec. I. A. 3. obs. 216.

****) De Relat. Medic. L. II. Sect. 8. cap. 2.



„Novi puellam, florenti ætate, quæ cum de „fetu ante tempus abjiciendo Medicum consuleret: „hic, ut impium illius institutum falleret, pia si-„mulatione promittit, se daturum quidem, quod „suam exspectationem abunde expleret, verum an-„tidotum ex iis miscuit, quæ fœtui robur ac fir-„mitatem adjicerent. Puella tamen, dum illo hau-„stu jam tum pariendi desiderio vehementer in-„censa esset, ac certo sibi, quod falso promittebat, „eventurum speraret, tota in hanc curam incum-„bens non multo post elapsum esse fœtum sensit, „ac non sine Medici ignominia abortivit, pharma-„co quantumlibet adversante: nam vehemens illa „abortus concepta imago & medicamenti vim vi-„cit, & Medici operam elusit.

Monendum tamen, istud sic dictum antidoton forte ex calidis medicamentis confectum fuisse, quæ sanguinem exagitando effectum edidere.

§. 33.

Hæc omnia iterum in subjectis plethoricis, ir-ritabilibus, in iis, quæ pluries jam abortum passæ sunt, eo facilius & certius effectum hunc edent.

§. 34.



§. 34.

Et magicæ vires abortum ciere posse, olim crediderunt; Ita DELRIO *) SPRENGER **) FROMMANN ***) TORREBLANCA ****) aliique abortum promoveri etiam invitis per maleficia statuerunt; Quod quidem si per esum fit, ut TORREBLANCA habet, non negabimus, at reliqui modi mere magici omnino non admittuntur, & idem DELRIO, haud male præcipit, abortum procurantes ut veneficos puniendos esse.

Cæterum animi imaginationisque perturbationes etiam per præstigia frivola excitatæ omnino potenter agere poterunt.

§. 35.

Porro & tempus graviditatis in censum venit: „Tertio enim mense, ait HALLER †), postquam „bis excretio legitima cessavit, quando nunc ter- „tii mensis plethora accessit, potissimum fœminæ „hæmorrhagias ingentes patiuntur cum abortu.

Hac

*) Disquisit. Magic. L. VI.

**) Malleus maleficarum.

***) De fascinatione.

****) De Magia.

†) Elem. Phys. T. VIII. p. 404.

Hac itaque periodo, ſi quæ mali quid molitur, certius ſcopum ſuum attinget, quam aliis temporibus. Verum tunc temporis prægnantes cælibes vel viduæ dubium adhuc invincibile ſecum alunt de certitudine graviditatis, vixque aliquid machinantur, & ſi forte quid tentant, raro potentias nocentes ita collineare ſciunt; ut ſcopum attingant; quin potius ſæpe ejusmodi conjungunt, quorum unum alterius efficaciam minuit, vel plane tollit.

§. 36.

Hisce prælibatis ad quæſtiones forenſes ſuper hac re enatas reſponderi poterit: Quodſi itaque quidam vel quædam aut rumore publico, aut delatione embryoctoniæ accuſatur, ſive in ipſa, ſive in altera patratæ, ſequentes quæſtiones decidendæ ſunt:

§. 37.

1) An abortus vere factus fuerit?

Hoc determinari nequit, niſi per inſpectionem exactam ejus, quod pro abortu habetur: Si fetus humanus reapſe deprehenditur, tum res ipſa loquitur. Sin autem tantum concrementa, membranæ, mola, ſanguis congrumatus inveniuntur, tum nec ipſa confeſſio graviditatis, ab ipſa accuſata facta contrarium evincit, cum ſæpenumero illæ ipſæ in erro-

errore ſint; Graviditas praegreſſa per indubia ſigna demonſtrata, & jam evanida omnino probat fetum aut maturum aut immaturum ejectum eſſe: Conferenda erunt ſigna puerperii, ſupra allata, quae utique eo minus evidentia erunt, quo minus maturus fœtus, adeoque quo minoris molis erat.

Si, quod fieri ſolet, ejectum illud qualecuncunque amiſſum fuit, corpus delicti deeſt, resque in ſuſpenſo manebit.

§. 38.

Secunda quæſtio eſt: An abortus, (ſi quidem talis deprehenſus fuerit), ſponte proceſſerit, an vero embryoctonia obtinuerit?

Spontaneos abortus ex morbis internis conſequi poſſe, nec infrequentes eſſe, ſupra C. I. §. 3. innuimus.

An vero in caſu aliquo ſubſtrato embryoctonia tentata ſaltem fuerit, ex ſequentibus, ſuſpicionem hujus illiusve machinationis, moventibus, judicari forte poterit:

Ipſa vero doli, vel intentionis ſive directæ ſive indirectæ evictio Jureconſultis relinquenda eſt. Sunt ea:

Sollicita uteri celatio.

Si



Si forte accusata scientiam abortum procurandi sibi acquirere studuerit.

Apparatus clinicus, quo ad morbum futurum, sana adhuc se aptaverit.

Labores insoliti, immodici, enormes motus, saltationes, saltus, equitatio, bajulatio, & ejusmodi.

Venæsectiones clandestinæ, frequentes, maxime in pede, modo apud hunc, modo apud illum Chirurgum institutæ.

Si medicamenta emmenagoga expetit á Medico, Chirurgo, Pharmacopœis, Medicastris, anubus.

Ipsa coëmtio & usus ejusmodi medicamentorum, collectio istiusmodi herbarum, earum infusio, coctio, sorptio clandestina.

Usus emeticorum purgantium drasticorum, inconsulto, vel & dissuadente Medico; nec alio morbo manifesto urgente.

Reliquiæ ejusmodi medicamentorum, ab accusata asservatorum.

Subitaneus morbus, celatus, fictio symptomatum aliorum, dissimulatio verorum, metrorrhagiæ, quæ tamen postea detegitur.

Vestigia, pressum, contusum abdomen demonstrantia.

§. 39.

§. 39.

Veritas ipſa phyſica, an evictæ forte machinationes immaturum fetum reapſe aut occiderint, aut abegerint, eruetur:

Ex inſpectione fœtus rejecti: Si nempe in hoc indubia læſionis veſtigia, forte per inſtrumentum acutum illata reperiuntur, tum in affirmativam abeundum. Idem enunciandum erit, ſi in abdomine abortientis ejusmodi reperiuntur.

Ex comparatione actorum, tentatorum, medicamentorum hauſtorum cum ſubjecto, ejusque individuali conſtitutione, tempore anni, graviditatis, morborum prægreſſorum &c. unde concluſio tandem emerget, an hæc omnia, ſic præciſe combinata eum effectum neceſſario produxerint?

§. 40.

Ipſum eventum pro apodixi facti aſſumere, injuſtum foret:

Nam ex eo, quod abortus poſt hæc vel illa ſecutus fuit, nondum ſequitur, eum neceſſarium illius rei effectum fuiſſe.

Similis argumentatio eſſet ei, cum quis mortem poſt vulnus inflictum conſecutam huic eam præciſe tribuere vellet, quod nequaquam concedi poteſt.

§. 41.



§. 41.

Eo magis hæc elucescunt ex historia, quam Schulzius habet *): Gravida icterica unciam mannæ haurit, unde aliquoties alvum deponit: Eadem nocte torminibus & diarrhœa corripitur, et altero die abortum patitur. Dantur itaque etiam *abortiva per accidens* talia. His in casibus Medicum vel medicamentnm accusare vel damnare injustissimum esset.

§. 42.

Denique scire interest, an embryo eo tempore, quo in eum agebatur, vixerit nec ne? cum in mortuum jam fœtum peccari nequeat.

§. 43.

Priori quæstioni subordinata est hæc: an vivere potuerit illo tempore? Nempe certatum fuit, quisnam sit terminus animationis fœtus? Articulus 133 Constitutionis Criminalis Carolinæ præcipue ansam dedit, hanc litem metaphysicam in Jus criminale transferendi, ubi scilicet ratione pœnæ differentia statuitur inter fetum vivum & mortuum: „So jemand einem Weibsbild durch Bezwang, Essen oder „Trinken ein lebendiges Kind abtreibt, so solches „vorsezlicher oder boshafter Weise geschiehet, „solle der Mann mit dem Schwerdt als ein Tod-

„schlæ-

*) Eph. N. C. D. I. an. 6. obs. 241.

„ſchlæger, und die Frau, ſo ſie es auch ihr ſelbſt „thæt, ertrænket, oder ſonſt zum Tode geſtrafet „werden. So aber ein Kind, das noch nicht le- „bendig wære, von einem Weibsbild getrieben „wird, ſollen die Urtheiler der Strafe halber zu „denen Rechtsverſtændigen, oder ſonſt Raths pfle- „gen —.

Lis eo difficilior erat, quod idea vitæ & animæ disjungebantur, quod non debebat eſſe.

Vita inchoat in ipſo conceptionis momento in embryone nondum viſibili, vel potius organicis illis primordiis novi animalis, adeoque deſtructio vel præmatura expulſio ejus ſenſu philoſophico ſemper & in quocunque graviditatis termino homicidio æquiparanda erit.

Cum autem vita fetus in utero ex naturali progreſſu graviditatis quidem præſumatur, at non ſtricte demonſtretur, partim ob ambiguitatem iſtorum ſignorum, partim, quod fœtus forte brevi ante inſidias ipſi ſtructas, vel violentias illatas vivere ceſſavit, aliud fundamentum vitæ fetus in utero non habemus, niſi ſpontaneos illos motus muſculares, quos circa dimidium geſtationis tempus expletum edere ſolet, unde & factum eſt, ut terminus animationis fetus iſti periodo tribueretur.

§. 44.



§. 44.

Quodſi ergo certo conſtat, fetum eo tempore, quo læſus vel expulſus fuit, membra moviſſe, embryoctoniæ crimen commiſſum eſt: Ejus motus autem certa ſigna vix dantur; præterea, quod cum aliis motibus in abdomine confundi poteſt, pleræque accuſatarum eum negabunt, adeoque ſola inſpectio fetus expulſi lucem forte affundere poterit: Si nempe fetus recens, debitæ magnitudinis eſt, vel ſi forte reſpiraſſet, quam functionem quinquemeſtris certe exercere poteſt, fetum vixiſſe, adeoque ſive læſione, ſive expulſione præmatura, (abſtrahimus heic, an inſonti an culpoſa) occiſum fuiſſe, ſtatuendum eſt.

§. 45.

Ex his ergo rationibus, minime vero ideo, quod fetus trium quatuorve menſium non vivat, vel inanimatus ſit, legis limitatio juſta eſt, qua ejusmodi delinquenti, ſi fetus infra dimidium geſtationis tempus expulſus fuit, pœna capitis non dictatur: Is autem, qui embryoctoniæ poſt dimidium geſtationis tempus convinceretur, ſecundum has leges morte dignus eſt, ſiquidem vita fetus tempore expulſionis §. 44. comprobari poteſt.



Libri, quorum penus apud *AMANDUM KOENIG*, Bibliopolam Argentoratenſem venalis proſtat.

Aretaei Cappadocis Libri VII à Junio Paullo Craſso, in Latinum Sermonem verſi. 8. 1768.

Boscovich Opera, pertinentia ad Opticam & Aſtronomiam; maxima ex parte nova & omnia hucusque inedita. 4. 1785. 5 Vol.

Caelſi Ratio occurrendi morbis a mineralium abuſu produci ſolitis; accedit Doraſcentius de uſu Chalybis atque Mercurii in obſtructione curanda. 8. 1783.

Celſi de tuenda ſanitate, volumen, elegis latinis expreſſum, auctore Cloſſio 8. 1785.

Eiſenmanni quatuor Tabulae anatomicae Uteri duplicis. fol. cum fig.

Euſtachii Libellus de multitudine, ſive de Plethora 8. 1783.

Gaubii Sermones II. academici de regimine mentis, quod medicorum eſt. 8. 1776.

Gouan hiſtoria Piſcium 4. 1770. c. fig.

Oppiani opera omnia de venatione, & piſcatione, cum paraphraſi librorum de aucupio, ex recenſione J. P. Schneideri 8. 1776. graece & latine.

Oratio pro crepitu ventris habita ad Patres crepitantes ab Em. Martino 32.

Pichleri Methodus formulas medicas conſcribendi 8. 1785.

Reuſſii diſpenſatorium univerſale, ad tempora noſtra accommodatum 8. 1786.

Schoepflini Alſatia illuſtrata celtica, romana & francica fol. 2. Vol. cum figuris.



Schoepflini Commentationes hiſtoricae & criticae varii argumenti 4. cum fig.

— Vindiciae Celticae, ſive diſquiſitio de Patria Celtarum 4.

Scribonius Largus de compoſitionibus medicamentorum edidit Bernhold 8. 1786.

Scriptorum latinorum de Anevrismatibus collectio, Lanciſius, Guattani, Matani, Verbrugge, Weltinus, Murray, Trew, Aſsmann, edidit Th. Lauth. 4. 1785. cum fig.

Sibylla Trig-Andriana ſeu de virginitate, virginum ſtatu & jure tractatus jucundus, in gratiam Phyſicorum per Kornmannum. 8.

Vaſtapani Animadverſiones de China china in ſynochis putribus. 8. 1783.

Vibius ſequeſter de Fluminibus, Fontibus, Lacubus, Nemoribus, Paludibus, Montibus, Gentibus, quorum apud poëtas mentio fit; Lectionis varietatem & integras Doctorum commentationes adjecit & ſuas D. Jer. Jac. Oberlinus. 8. 1778.

TUBINGÆ,

EX OFFICINA GEORG. HENRIC. REISS.

coll. le 21/7/45
complet

